BERLINER STUDIEN

FÜR

CLASSISCHE PHILOLOGIE UND ARCHAEOLOGIE.

NEUNTER BAND.

ERSTES HEFT.

DE DELI INSULAE REBUS.

SCRIPSIT

VALERIANUS DE SCHOEFFER.

BERLIN.

VERLAG VON S. CALVARY & CO.

1889.

DE DELI INSULAE REBUS

SCRIPSIT

VALERIANUS DE SCHOEFFER,
CAND. PHIL.

BEROLINI
APUD S. CALVARY ET SOCIUM.

1889.

PRAEFATIO.

De Delo insula tam multi libri et antiquitus et recentioribus temporibus sunt conscripti, ut, denuo si quis res eius pertractandas sibi proposuerit, excusationem eum proferre necesse sit meliorem quam Iuvenalis illud stultam clementiam esse dicentis »periturae parcere chartae.« Sed dissertationes hac aetate superiores, paucissimas quasdam si excipias (in quibus sunt primo loco Boeckhii commentarii appellandi), nullius iam sunt momenti ad historiam deliacam cognoscendam post explorationes his duodecim annis in insula factas scholae Francogallicae atheniensis iussu ab Homollio aliisque viris doctis: nam cum artis monumenta plurima tum documenta epigraphica 1500 amplius ad saeculorum sex spatium pertinentia e ruinis totam insulam operientibus in lucem sunt protracta, quibus tota nostra rerum Deli et publicarum et sacrarum atque inprimis templi Apollinei administrationis cognitio mirum in modum adiuvatur atque amplificatur. Quamquam documentorum, quae adhuc inventa sunt, pars tantum neque ita magna est publici iuris facta atque haec quidem commentariis luculentissimis illustrata ab iisdem viris doctissimis, inprimis ab Homollio, cuius nomen arctissimo semper vinculo cum annalibus deliacis erit coniunctum. At hae dissertationes plerumque id spectant, ut explicentur et artis monumenta et tituli una editi, praeter paucas, quibus continua oratione quaestio aliqua tractatur ad antiquitates deliacas pertinens, ut aliquot Homollii libris in opusculo meo saepius appellatis — nusquam reipublicae deliacae disciplina universa per totum antiquitatis tempus pertractatur atque illustratur adhibitis omnibus titulis, qui usque ad hoc tempus publici iuris sunt facti. Conati quidem sunt hoc facere et Attingerus et Nenzius; sed ne illa quidem, quae iam ab Homollio aliisque viris doctis singulatim erant exposita, comprehendere atque in unum coniungere potuerunt, ut lectorem non satis harum quaestionum peritum in errorem potius inducerent. Iam patet, mihi quid proposuerim: quae per varias dissertationes

commentariosque hominum doctorum dispersa sunt, ut accuratissime colligerem titulisque omnibus ad Delum pertinentibus diligentissime examinatis atque inter se collatis (nam ex scriptoribus antiquis etiam atque etiam retractatis vix quicquam redundavit, quod non iam esset notum) nova quaedam afferrem ad Deli insulae res inde ab antiquissimis temporibus cognoscendas totamque et reipublicae gerendae et templi Apollinei administrandi rationem illustrandam. Seclusi plerumque vel paucis tantummodo verbis attigi quaestiones ad res sacras, quae proprie dicuntur, et ad artis historiam spectantes, quoniam et minus ad singularis civitatis instituta publica quam ad universam graecae cum religionis tum artis disciplinam pertinere videntur, neque uberius pertractari possunt deficientibus adhuc documentis. Lubenter topographiam, quam dicunt, insulae exposuissem situsque templorum variis deis consecratorum discripsissem; sed perdifficile est res huiusmodi sibi aliisque illustrare locis ipsis non visis, quae mihi facultas data non erat. Forsitan obiciat mihi quispiam, quod non exspectaverim, dum titulis omnibus ceterisque monumentis publici iuris factis quaestiones quaelibet ad Delum attinentes certiore ratione expediri possint totaque de insula sacra *ἱστορία* absolvi: atque confiteor, cum Roberto et Koehlero, magistris meis (quos honoris causa nomino), auctoribus de hoc labore suscipiendo cogitare coepissem, ipsum me idem illud reputantem aliquamdiu dubitavisse; sed omnis mihi scrupulus exemptus est colloquio cum Homollio habito, cuius e verbis (fortasse falso) animum induxi, ut crederem satis longum temporis spatium elapsurum, antequam monumenta deliaca omnis generis vir ille doctissimus ederet. Quare nullum videtur esse periculum, ne propediem opusculum meum, in quo componendo satis laboris consumpsi, inutile fiat.

Occasione denique hac utor, ut gratias quam maximas agam eis viris doctis, quorum consilia utilissima laborem meum maxime sublevarunt atque ad bonum, ut spero, finem ut perduceretur effecerunt: C. Roberto, qui idem primus me impulit ad hanc quaestionem suscipiendam, Udal. Koehlero et Th. Homollio, qui cum aliis rebus tum communicatis mecum summa liberalitate titulis quibusdam nondum editis gratissimam opem tulerunt.

Scribebam Aquis Mattiacis ultimo die anni 1888.

Argumenta.

Χαῖρ' ὦ θεοδμάτα λιπαροπλοκάμου
Παίδεσσι Λατοῦς ἱμεροέστατον ἔρνος
πόντου θύγατερ, χθονὸς εὐρείας ἀκίνητον τέρας,
ἅντε βροτοὶ
Δᾶλον κικλήσκοισιν, μάκαρες δ' ἐν Ὀλύμπῳ τηλέ-
φαντον κυανέας χθονὸς ἄστρον
Pindar. Prosod. εἰς Δῆλον.

Πῶς οὖν αὕτη πατρὶς ὑμῶν εἴη,
ἐν ᾗ οὔτε γέγονέ τις ὑμῶν οὔτ' ἔσται;
Plutarch. Apophthegm. Lacon. 15.

I.

Duas sententias, Pindari unam, alteram Plutarchi praemisi opusculo meo, quibus tota Deli insulae historia quasi in brevius redacta contineatur. Letoidis matrique eorum erat sacra, dei *παράσιτοι* incolae eius — hoc opulentiae famaeque initium, hoc vitae suppeditamentum, hoc gloriae et a poetis celebratae et a pedestris orationis scriptoribus[1]), hoc divitiarum in dies crescentium totoque ex orbe terrarum affluentium certissimum firmissimumque fundamentum, sed haec eadem causa et origo malorum omnium. Nam e divitiis lucri spes et cupido vicinorum nata, ex existimatione gloriaque invidia plus viribus valentium exorta atque desiderium omnibus his opibus insulae sacrae potiendi. Hinc illae gliscentes semper inimicitiae, hinc illae specie colendi dei honorandique male excusatae Deliorum iniuriae, quibus ad extremum effectum est, ut ex Apollinis parasitis mensarum apparitores, e sacrae insulae incolis sacris exules fierent patria carentes, in qua neque nasci neque mori iis liceret, donec quasi hoc non satis esset superque iniustitiae,

---

[1]) Nomina omnium sacrae insulae laudatorum et historicorum apud Lebegium perlegas: »Recherches sur Délos« (1876), p. 11—21. Cfr. etiam Gilberti »Deliacorum« paginas primas et in Homollii libro: »Archives de l'intendance sacrée à Délos« illas, quae inscriptae sunt: »Rareté et insuffisance des témoignages littéraires« (p. 7—12).

pulsi sunt finibus suis et coacti in externis sedibus minus gloriosam eamque tutiorem sibi patriam exquirere, in qua vix tandem iis per inimicos acquiescere licuit. Neque tamen illis, qui in eorum locum successerunt, usui erant, quae iniuria parta ex hostium manibus acceperunt: casu enim evenit, vel potius sors quaedam culparum ultrix effecit, ut nihil iis prodesset, quam tam diu appetivissent, possessio et nomine tantum domini, revera aliorum commodis inservirent, qui quos sperassent fructus, ipsi decerperent; atque ne hac quidem dubia dominatione iis licuit otiosis frui per eandem, qua incolas priores prosecuti erant, invidiam bisque contigit, ut dirutas aras dei delubraque direpta, insulam vastatam, cives suos occisos vel in servitutem abductos viderent. Neque prius invidia haec sempiterna sedata est, quam divitiis absumptis, gloria quoque sacrae Deli evanesceret totaque cum reliqua Graecia, senectutis torpore languida, Apollinis etiam insula in hominum oblivionem incideret.

Deli insulae quum mihi vices perscrutandas proposuerim, exspectet forsitan quisquam me mythologicam, quae dicitur, aetatem pluribus persecuturum, ut in terra praeter ceteras a deis frequentata. Sed vereor, ne his tenebris deceptus recto itinere deflectam neu ad res properans clariores detinear. Nam ne ii quidem homines docti, qui antea mythos Deliacos tractarunt, Gilbertium dico et Lebegium, quamvis in his rebus enucleandis magnam consumpserint operam laboremque, mea quidem sententia quidquam contulerunt, quod mentione dignum esset. Quorum ille magis in sacris deliacis enarrandis quam in fabulis illustrandis est versatus et, quum duos Apollines distingueret, alterum in Delo natum, alterum e Lycia venientem et ad Hyperboreos migrantem, nullum fecit verbum de Apolline Delphico ac ne posuit quidem quaestionem, quae inter utrumque intercederet necessitudo, essentne diversi, diversa patria oriundi, an si idem atque unus, utrum Delo Delphos, an Delphis Delum profectus esset, quae fabulae ad alterutrum referendae quaeque ambobus communes essent. Lebegius autem, quamquam magnam eruditionem magnumque studium ad has res obscurissimas perscrutandas adhibuit, contra primam artis criticae legem peccasse mihi videtur: singulas deinceps fabulas narrat, quae apud Homerum tragicosque atticos quaeque in scriptis Alexandrinorum et Byzantinorum exstant, quasi omnibus eadem et fides

habenda sit et auctoritas tribuenda; multum etiam illud ei obfuit, quominus has quaestiones illustraret, quod res per se ipsas obscurissimas caligine quadam mystica offusa magis magisque obscuravit, quum mysteria quaedam indagasse sibi visus esset; quin etiam non contentus fabulis, quae ad deos nobis cognitos pertinerent, alios deos, qui ante Graecos in insula a Pelasgis, Caribus etc. culti essent, in lucem prodere conatus est; accedit, quod magnam viri docti eruditionem magnamque operam navatam irritam reddit audacia in verbis scriptorum explicandis adhibita, quae modum omnem transgreditur: ut exemplum afferam, ex Homeri versibus, qui exstant in Odysseae libro quartodecimo (v. 402 sqq.): »*νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται (εἴ που ἀκούεις) Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο*« sibi persuasit, auctore quidem commentatore vetere, fuisse in Cynthi montis caverna adytum Solis perantiquum in eoque quadrantem solarem, e quo solstitia definiri possent.

Quo exemplo monitus, ne propius ad solem accedens patiar, quod Daedali filius, totam hanc fabularem historiam in medio relinquam, quum et ex omnibus, quae dixi, pateat non posse me ea, quae Gilbertius vel Lebegius investigasse sibi visi sunt, in opusculum meum ut satis credibilia recipere et taedeat, quas scriptores antiqui varias atque saepissime inter se certantes fabulas memoriae prodiderint, eisdem verbis denuo enarrare. Eas igitur tantum breviter attingam, quae ad vices Deli insulae cognoscendas pertineant.

Primum quod attinet ad varia sacrae insulae nomina a diversis scriptoribus antiquis nobis tradita, quae et Gilbertius et Lebegius, paucis seclusis, ut certa dubioque non obnoxia receperunt, in hac re illos sequi non possum: tota enim haec nominum series, quae proverbium vernaculum »Gut Kind hat viele Namen« quasi exemplo illustrare videtur, ex parte seriorum tantum eorumque minus fide dignorum nititur scriptorum testimoniis, partim ex epitheto, a poeta aliquo ficto et a posteris male intellecto, orta est vel e falsa Homeri versuum interpretatione studioque omnia locorum nomina, quae apud eum invenirentur, ad loca commentatoribus nota applicandi.

Inter nomina non satis firmis munita testimoniis refero: *Ἀγάθουσα*, in glossa Hesychiana nobis servatum, ubi iam pridem

ab interpretibus *Δῆλος* in *Τῆλος* mutata est;[2]) *Ζάκυνθος*, quod nomen iam a Stephano Byzantio nostrae insulae abiudicatum est;[3]) *Ἀνάφη*, quod sola Philonis auctoritate nititur et certe ab illo scriptore a nota Cycladum insula alia ad nostram translatum est falsae etymologiae gratia (ab *ἀναφαίνειν*);[4]) Astarte, quod ex alius Deli cognominis, de quo infra verba faciemus, Asteriae corruptione ortum esse iam Lebegius vidit; *Κύναιθος*, quod apud Plinium Solinumque traditum, Cynthi nominis explicandi causa a grammatico quodam homine mihi male confictum esse videtur.[5]) De Lagiae cognomine, ab iisdem scriptoribus Delo indito,[6]) nescio quid dicam, nisi certe non esse (ut Lebegii est sententia) e Pelasgiae nomine[7]) corruptum, quod et ipsum, quum iam geographi antiqui, ad quam referrent Cycladum insulam, dubitaverint, causam non video, cur nos Delo potius, quam alii cuivis tribuamus. *Σκυθίας* autem et *Χλαμύδια*[8]) nescio an non versificatoris cuiusdam ludibundae debeantur libidini: popularis certe non sunt ingenii, neque ad veram insulae formam quadrent. Eandem originem credo esse *Πυρπόλου* vel *Πυρπίλης* cognominis,[9]) quo fisus Lebegius orgia quaedam Bacchi, utpote apud tragicos *πυρπόλου* audientis, indagare sibi visus est: nisi mavis in hoc insulae nomine notionem quandam volcanicae, quae dicitur, eius originis inesse. De Cynthi nomine[10]) dubito, utrum a poeta aliquo, notissima illa orationis figura, quae metonymia dicitur, adhibita, a monte Latoidis sacro ad insulam totam translatum sit, an revera quum primum ad appellandam omnem insulam inservisset, postea Deli nomine vincente, in solo monte haesiverit, ut vult scholiasta Apollonii Rhodii.[11]) Reliquum est, ut de Asteriae Ortygiaeque nominibus verba faciam, quorum primum Pindari, alterum Homeri auctoritate nititur — vel potius niti videtur. Nam Pindarus tantum dicit — verba eius ut titulum opusculo meo praemisi — a deis Delum

---

[2]) Hesych. s. v. *Ἀγάθουσα*. [3]) Steph. Byz. s. v. *Δῆλος*. [4]) Philo *περὶ ἀφθαρ. κόσμ.* p. 960. [5]) Plin. Hist. Nat. IV, 22, 2; Solin. XI, 19. [6]) Plin. Nat. Hist. IV, 22; Solin. XI, 30. [7]) Steph. Byz. s. v.; cfr. Eustath. Commentar. ad Dionys. Perieget. v. 520. [8]) Plin. Hist. Nat. IV, 22; Steph. Byz. s. v. *Δῆλος*. [9]) Plin. Nat. Hist. IV, 22; Solin. XI, 30. [10]) Plin. Nat. Hist. ibid.; Solin. XI, 30; Serv. ad Verg. Aen. III, 12 et 72. [11]) Schol. Apollon. Rhod. I, 307.

nigrae terrae astrum appellatum esse,[12]) quae verba Dissenius explicat: »scilicet Asteriam«; sed hoc est non poetam interpretari, verum interpolare poemata illius nostris opinionibus, quum de Asteria ne verbum quidem fecerit, nedum fabulam illius a Neptuno amatae et ab Apolline in insulam versae narraverit, quod mihi Lebegius somniasse videtur, locum etiam adferens, ubi apud Pindarum exstet haec fabula (fragmm. 57 et 58 — scilicet prosodion εἰς Δῆλον nostrum): primus est Callimachus, qui huius nominis mentionem fecerit,[13]) et nescio an non totam hanc Asteriae fabulam vel ipse Pindari versu usus sive abusus confinxerit, vel ab aequali alio fictam acceperit, praesertim quum et omnium, quibus deorum amores narrarentur, fabularum essent amantissimi Alexandrini et de Asteria Urani filia in coturnicem avem mutata (quae graeco sermone ὄρτυξ audiebat) fabula aliud quoque Ortygiae nomen explicaretur, Delo insulae e falsa Homeri versuum interpretatione inditum. Versus sunt, quos iam attuli: Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο,[14]) ubi commentatores omnes antiqui nomine Syriae insulae, quam eandem putabant atque illam e Cycladum numero, decepti, Ortygiam, quae Artemidi sacra esset (cfr. Hom. Odyss. V, 123), appellari nullam aliam posse insulam contenderunt nisi sacram Delum; in reliquis verbis — ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο — haeserunt, neque ullo modo intelligi possunt, si Ortygiam eandem esse atque Delum verum esset: at esse regionem fabularem demonstratur cum hac, ut Graeci dicunt, ἀπορίᾳ, quae solvi nullo modo possit, nisi intelligamus locum a poeta laudari, ubi sol, cursu suo diurno perfecto, vertitur et ad orientem regreditur, scilicet δυσμὰς ἡλίου, ut commentatoris antiqui verbis utar, tum etiam ipso orationis tenore, ut nos quoque in fabellis vernaculis dicimus: es liegt ein Eiland im fernen Westen; denique exstat testimonium, quo neque antiquius neque clarius aliud desiderare possimus: expressis enim verbis auctor Hymni, qui inscriptus est in Apollinem, vel si versus hi interpolati sunt, poeta certe antiquissimus nobis testatur Latonam genuisse Artemidem et Apollinem, τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ.[15]) Non igitur potest esse du-

---

[12]) Pindar. frgg. 87—88 ed. 4 Bergk. [13]) Callimach. in Delum v. 37. [14]) Homer. Odyss. XIV, v. 402—403. [15]) Hymn. homer. in Apoll. v. 16.

bium, quin Ortygia sit insula Dianae sacra solius, non una cum Apolline: quin etiam credam hanc fabulam antiquiorem fuisse ea necessitudine, quae postea inter ambos intercessit; certe Ortygia cum Artemide arctissime coniuncta est simulque cum deae huius cultu migravit cum Ephesum, tum Syracusas,[16]) ubi Arethusam non esse nisi ὑπόστασιν, ut ita dicam, Artemidis iis, quae nobis tradidit Pausanias de Artemidis Alphaeonitidis sacris Alpheique amoribus frustratis clare evincitur.[17]) Quo tempore Ortygiae nomen ad Delum quoque translatum sit, investigare non licet primusque, quod quidem nobis constet, hoc nomine insulam appellavit Atthidis scriptor Phanodemus,[18]) medio saeculo quarto non antiquior, sed ne tum quidem omnibus hanc opinionem fuisse probatam cum commentatorum Alexandrinorum, qui illi Homeri versui explicando operam navarunt, verbis demonstratur, tum Strabonis testimonio, qui Rheneam insulam antiquitus Ortygiam dictam esse nobis tradidit,[19]) Artemidori nimirum, clarissimi geographi, fretus auctoritate, quem paucis antea lineis laudaverat. Sed plus, quam volui, in hac re temporis contrivi neque habeo, quod dictis iam adiungam, nisi de Ortygiae nomine insulae falso tributo consentire mecum virum harum rerum peritissimum Robertum in Prelleri mythologiae editione recentissima.[20])

His iam versibus Homeri remotis unus tantummodo apud eum reliquus est locus, qui ad nostram insulam spectet; comparat Ulixes Alcinoi filiam cum palma ad aram Apollinis Deli crescente.[21]) Palma certe est, ad cuius radices adnixa Apollinem Latona in lucem edidisse dicitur in Hymno, qui ad Apollinem inscribitur;[22]) inter quem hymnum et Odysseae librum sextum non magnum certe intervallum temporis intercedit, quum Odysseae hanc partem inter novissimas referant viri harum quaestionum periti.

Hymnus ille, cuius partem antiquissimam ad septimi ante nostram aeram saeculi initium referre non dubito, non solum clarissimum exstat pietatis erga deum monumentum et de Apollinis

---

[16]) Schol. in Apollon. Rhod. I, 419. [17]) Pausan. V, 7, 2—3 et VI, 22, 9—10. [18]) Fragm. 1 apud Athenaeum IX, p. 392d servatum: C. Müller, Frag. Hist. Graec. I, p. 366. [19]) Strab. X, 5, 5. [20]) Preller-Robert, Griech. Mythologie. I, p. 297. [21]) Homer. Odyss. VI, 162. [22]) Hymn. in Apoll. v. 117.

origine quae narrabatur fabulae primum testimonium, sed etiam vetustissimum est existimationis documentum illius, qua per omnia tempora sacra insula apud omnes Iones fruebatur: prima enim hic mentio fit πανηγύρεως illius, quae ad dies Apollini festos agendos undique navibus exornatis advecta Delum conveniebat. Neque ut nuper constituta haec nobis amphictyonia a poeta describitur: iam in arae locum, quam Ulixes viderat, templum successit — pulcherrimum, si poetae fidem habeas; iam deo ludi celebrantur et gymnici et musici, quorum ne mentio quidem fit in carminibus homericis; iam totus cultus apparatus conditus chorique virginum, quae Deliades nominantur, rite atque non sine arte quadam constituti, quum imitentur varias diversarum gentium voces, earum scilicet, ad quas Latona erroribus exagitata pervenerit.[23]) Nemini versus hos elegantissimos legenti dubium esse potest quin hac panegyri sacra patria celebrentur, non recentia, sed antiquitus constituta, quorum origo iam ex hominum memoria evanuerit. Cuius rei maximum documentum esse censeo, quod Chio insula oriundus rhapsodus cantus suos Deli recitat,[24]) quum non sit dubium festos hos dies a vicinis primo proximis agi coeptos, Cycladum, quae dicuntur, insularum incolis, postea vero crescente in dies templi gloria, etiam ex aliis Ionum civitatibus ipsius Asiae insularumque adiacentium sacras legationes ad Apollinem Delium missas. Quamobrem non falli mihi videor, si πανηγύρεως Ionum Deliacae originem ad Olympiadum initium fere refero: neque enim multo recentior propter ea, quae modo exposui, esse potest, neque multo antiquior, quum in recentissimis tantummodo, ut dixi, homericorum carminum partibus sacrae insulae mentio fiat eaque brevissima, quasi terrae audientibus nondum satis notae.

Certius nobis de tempore iudicare liceret, si satis fidei haberi posset iis, quae de sacra legatione a Messeniis regis Phintae tempore Delum missa hymnoque iis in honorem Apollinis composito ab Eumelo, poeta Corinthiaco, memoriae tradita sunt a Pausania periegeta,[25]) qui etiam duos versus hymni huius perscribit.[26]) Floruit enim Eumelus circa Olympiadem nonam (744—41), si Eusebi canonem sequimur, quocum ita congruit Clemens Alexandrinus,

---

[23]) Hymn. in Apoll. v. 146—164. [24]) Ibid. v. 172—173.
[25]) Pausan. IV, 4, 1 et 33, 2; V, 19, 10. [26]) Ibid. IV, 33, 2.

ut fuisse eum dicat eodem quo Archiam Bacchiadam tempore, Syracusarum urbis conditorem;[27]) neque multo post carmen illud Delium compositum esse potest, quum Messenios bello cum Lacedaemoniis ipsa hac Olympiade exorto prohibitos vix credibile sit legationem sacram Delum misisse.[27a]) Sed quum per se ipsum probabile non sit Dores Messeniacos ad Ionum panegyrim chorum misisse, tum carmine ipso demonstratur falso esse Eumelo tributum: ante Terpandrum enim non potuerunt a poeta, praesertim Dorico, formae adhibitae esse dialecti aeolicae, quarum duae in duobus his versibus inveniuntur (participia in *οισα* exeuntia) multoque minus vox e sermone Lydorum desumpta (*σάμβαλα*) — quod argumentum acceptum refero viro doctissimo Diels, quem honoris causa nomino. Equidem persuasum habeo esse hos versus quinto saeculo non antiquiores totamque messeniacae legationis fabulam eo tempore confictam, quo inter Messenios patria profugos Naupactumque incolentes atque amphictyoniae deliacae principes vel potius dominos Athenienses arcta amicitiae necessitudo intercederet. Non esset hoc primum vel unicum fabulae exemplum eo consilio fictae, ut status rerum, qui aliquo modo postea exstitisset, ad antiquissima tempora referendo sanciretur falsa antiquitatis specie. Multa possum adferre, sed verba faciam tantummodo de iis fabulis, quae ab Atheniensibus eo consilio fictae sunt, ut Delus antiquitus attica fuisse videretur.

Quibus fabulis narrabatur (ut de aliis minoris momenti taceam) et Erysichthonem, Cecropis regis filium, primam theoriam atticam Delum duxisse templumque ibi Apollini dicasse, unde reversum Prasiis praematura morte occubuisse, et Thesea post occisum Minotaurum ad sacram insulam cum Ariadne appulisse ibique et festa dei peregisse et saltationem quandam sacram instituisse, *γέρα-*

---

27) Clem. Alex. Strom. I, p. 333 ed. Potter.

27a) Dixit Bergkius (Griech. Literaturgesch. II, p. 68) verisimilius videri bellum hoc duabus vel tribus Olympiadibus post ortum esse propter Olympionicas e Messenia oriundos, qui in tabulis ad 10am et 11am Ol. referrentur; sed credere licet Messenios, dum bello non supra modum premerentur, frequentare non destitisse certamen Olympicum: etenim scimus ne Xerxe quidem appropinquante Graecos prohiberi potuisse, quominus ludos spectarent.

νος appellatam, quae ambagibus suis flexuosam Labyrinthi viam imitaretur. Quae quum omnia iam Gilbertius[28]) demonstrarit ab Atheniensibus esse ficta, »ut gloriae atticae augendae servirent et Delum iam vetustissimo tempore in potestate Atheniensium fuisse ostenderent,« geranumque saltationem non Thesei errores, sed Latonae parturientis imitari docuerit, non habeo, quod verbis eius adiiciam, nisi cum Erysichthonis theoria, mea quidem sententia, dona quoque Hyperboreorum, quae dicebantur, esse iungenda, quae Athenienses (aliter atque Delii) narrabant Delum pervenire Prasiis advecta, illo ipso ex oppido, ubi Erysichthonem sepultum esse Pausanias tradidit.[29])

Quo quidem tempore has fabulas fictas esse credamus, certi nihil dici potest. Crediderunt multi viri docti Thesea non antea Athenis inclaruisse, quam ossa eius a Cimone Scyro insula advecta essent et ipse heros quodammodo amphictyoniae attico-deliacae fieret, eodemque tempore confictas omnes, quas dixi, aliasque narrationes ad eum pertinentes, atque magnum huius rei testimonium repetiverunt a tabula illa Miconis clarissima, qua Theseus ab Amphitrite coronam, imperii scilicet maritimi pignus, accipiens depictus erat,[30]) cuius tabulae quasi imminuta imago exstaret in nota illa Euphronii pictoris phiala. Sed quum novissimis explorationibus in acropoli Athenarum factis inter alias inscriptiones bellis Persarum antiquiores Euphronii quoque dedicatio inventa sit, necesse est et hunc pictorem Micone vetustiorem esse et illam de Amphitrites corona fabulam iam saeculo sexto exstitisse. Quae quum ita sint, persuasum habeo tempore Pisistratidarum, a quibus Homeri poemata versibus aliquot in maiorem Athenarum gloriam interpolata constat, teste Dieuchida Megarensi, etiam omnes fere fabulas ad Thesea pertinentes confictas vel saltem Athenas translatas. Quod ut sentiam, ea potissimum re adducor, quod Pisistratidae et imperium maritimum primi appetivisse et Delum insulam quasi sibi obnoxiam reddere conatos esse videntur, de quo infra agetur.

---

28) Deliaca, p. 3—4.

29) Pausan. I, 31, 2. Quam Toepfferus nuper de Erysichthone protulit sententiam (Herm. XXIII, p. 328ff.), non possum ei assentiri plane, sed locus deest de hac re disputandi.

30) Pausan. I, 17, 3.

Refelleretur haec mea opinio, si revera, ut multis viris doctis visum, Thesei illa eiusque comitum saltatio depicta esset in vasculo perantiquo ex inventoris nomine »François-vase« audiente, quod certe est Pisistratidarum aetate vetustius. Sed Naxi, ubi antiquitus iam Ariadne vel Ariagne ut Dionysi uxor erat culta, non Deli haec agi certissimum mihi videtur documentum senex ille canis capillis, prope Thesei navem natans remigumque oculos mirantium in se convertens, quem equidem Gaedechens secutus contra Welckerum neminem alium esse puto nisi Glaucum illum marinum,[31]) qui Naxi Ariadnen amore suo frustra prosecutus atque a Dionyso choroque eius vinctus dicitur.[32])

Solonis non antiquius est aetate, quod habemus certum documentum Athenarum cum amphictyonia deliaca coniunctionis: legem dico de Deliastis a Solone datam, quam exstitisse in eius κύρβεσι tradidit Athenaeus teste, ut videtur, Polemone.[33])

---

[31]) Gaedechens, Glaucos der Meergott, p. 149; Welcker, Griech. Götterlehre, 3 p. 160. [32]) Athen. VII, p. 296 a.

[33]) Athen. VI, p. 234 e. f. Quamquam hic Athenaei locus mihi admodum est suspectus: non enim, ut exspectes, de deliastis lege cavetur, sed de praeconibus duobus, quorum antea nulla mentio facta est, creandis iisque e κηρύκων gente, quum e titulo nobis deliaco cognitum sit deliastae munere functum Medeum Medei f. Piraeensis (Bull. d. Corr. Hell. III, p. 379), cui nullam cum κηρύκων gente necessitudinem intercessisse e Ps.-Plutarchea vita Lycurgi (p. 842) constat, ubi ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολπιδῶν fuisse dicitur (cfr. Dittenbergeri de κηρύκων gente disputationem in Hermae Vol. XX, 1—40 et quod ad Medeum pertinet, p. 18); accedit, quod nunquam praeconum munere deliastae sunt functi, quod scimus et atticae dominationis et reipublicae Deliacae liberae temporibus commissum hominibus mercede conductis (C. I. A. II, 814 b, lin. 28). Quare quum Kaibel in Athenaei editionis praefatione luculenter demonstrarit Athenaei opus ab excerptore aliquo ad nos pervenisse decurtatum, non dubito, quin hic quoque hominis illius culpa interciderit genuina Solonis lex ad deliastas pertinens una cum verbis, quibus ad κήρυκας transiit Athenaeus, praesertim quum in errorem inductus esse potuerit ea re, quod in sequentibus praecones quoque in Delio παρασιτεῖν iubentur (quanquam non satis intellego, quae necessitudo inter eos deumque Delium intercesserit). Qua disputatione cave credas ipsam Solonis legem in dubium vocari: nihil aliud demonstrare volui nisi exstitisse quidem eam, a Polemone exscriptam, sed ignorare nos semperque ignoraturos, quae lege

Vetustius certe haberemus testimonium, si hymni illius in Apollinem Delium inscripti versibus 30—44, ut Gilbertio et Attingero est visum, civitates appellarentur amphictyoniae deliacae participes iam sexto saeculo factae. Sed ut non dicam multas laudatas, quae tum temporis nullo modo participes esse possent sollemnium Apollinis, ut Lesbus ab Aeolis, Cos et Cnidos a Doribus possessae, versus hos non cum antecedente: *ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσι θνητοῖσιν ἀνάσσεις* (quae mira sane esset imperii diminutio, si Aegaei maris

---

illa de deliastis sancta fuerint. Male Gilbertius et Lebegius cum hoc Athenaei alium Philochori locum (fr. 158 in C. Mülleri, Fragm. Hist. Graec. I, p. 411, a scholiasta Sophocl. Oed. Col. 1102 servatum) contaminarunt, ubi in libris manuscriptis haec verba leguntur: *Ὅταν δὲ σημεῖα γένηται παραδεδομένα ἐν τοῖς ἱεροῖς τότε ἀποστέλλουσι τὴν θεωρίαν οἱ ἐκ τοῦ γένους πυθίαι τὲ καὶ Δηλιάδες, ὁποτέρα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς*, quae sensu carentia iam Od. Müller (Dorier. I, p. 240) sic commutavit: *ἀποστέλλουσι τὴν θεωρίαν οἱ ἐκ τοῦ γένους Πυθιάδα καὶ Δηλιάδα, ὁποτέρα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς*; sed Gilbertius maluit *οἱ ἐκ τοῦ γένους Πύθιοί τε καὶ Δηλιασταί ἀποστέλλουσι* scribere, quasi vel hoc, vel quae restant: *τὴν θεωρίαν, ὁποτέρα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς* graeco sermone et dici et intellegi possent. Quibus idem adiunxit Phaedonis Platonici locum (p. 58 c.), ubi de Apollinis sacerdote agitur sacrae navis puppim coronante, quem Deliasten ipsum quoque fuisse contendit: quin etiam huius ipsius navis et conservandae et resarciendae munus iisdem tribuit. Sed haec vix digna sunt, quae refellantur, et refelluntur una Harpocrationis glossa s. v. (quam Hesychius et Suidas decurtatam exhibent), ubi dicitür deliastas non sacerdotes fuisse, sed theoros et testis harum quidem rerum gravissimus Lycurgus laudatur *ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου*. Unum Gilbertius in toto hoc, si uti verbo licet, errorum Labyrintho granum veritatis invenit, sed inventum ipse obruit: perspexit enim fuisse sacerdotes hos Apollinis, quos Philochorus appellat, non publicos Athenarum civitatis, sed proprios tetrapolis Marathoniensis. Cuius reicertum mihis videtur documentum, quod sacerdotes hi et auspiciis praefuerunt et sacrificia obtulerunt *ἐν Δηλίῳ* et *ἐν Πυθίῳ* Marathoniensibus, non in Athenarum templis; certius, quod Pythaistae publici, Strabone teste (IX, 2, 11), fulgura servare solebant e muro urbis supra Harma, montis excavationem Parnetis (quod ex Oenoe conspici non potuisse Koehler mihi est auctor); certissimum, quod de his rebus omnibus Philochorus non in Annalibus suis verba fecit, neque in libris, de Atheniensium sacris publicis (velut *περὶ ἑορτῶν*, *περὶ θυσιῶν* etc.), neque quod gravissi-

tantum in insulis dominari diceretur), sed cum insequente esse coniungendos: *τόσσον ἔπ' ὠδίνουσα ἵκετο Λητώ* gravissimum est argumentum illa vocum *ὅσσους* et *τόσσον* responsio, quae exstat inter v. 30: *ὅσσους Κρήτη τ' ἐντὸς ἔχει καὶ δῆμος Ἀθηνῶν* etc. et v. 45: *τόσσον ἔπ' ὠδίνουσα ἵκετο Λητώ.* Quare si versibus his certum esset describi amphictyoniam deliacam (quod non nego poetam fortasse in mente habuisse), crederem multo posteriore tempore eos carmini insertos, antiquissimo sane, sed eidem cum interpolatorum culpa, tum scribarum neglegentia mirum in modum et amplificato et

---

mum puto, in iis, quos de rebus Deliacis conscripsit, ubi theoriam publicam omittere nullo modo poterat (hinc totum Strabonis locum de Harmate fluxisse puto), sed ex opusculo quodam desumpta sint, quo tetrapolis Marathoniensis res sacras proprias fabulasque pertractavit. Qua ratione mihi persuadeo intercessisse quandam regioni huic et cum oraculo Delphico et cum Delo insula necessitudinem, qua fieret, ut huc et illuc theorias suas a publicis diversas mitterent, praesertim quum constet habuisse tetrapolin sacra aliqua cultumque deorum sui proprium cum e coniunctione quattuor pagorum arctiore, qui etiam archontem communem creabant (Dittenberger, Syll. Inscr. Graec. II, no. 304), tum quod Philochoro digna visa sunt, quae libro singulari pertractentur: et scimus certe hic primum Herculem ut deum esse cultum (Paus. I, 15, 3; 32, 4). Quibus aut aliis rationibus inductus, iam Gilbertius, ut supra dixi, a publica segregavit hanc privatam Marathoniensium theoriam, sed egregie inventa statim obruit, quum mirum in modum — ipsius verba perlegas velim — huic privatae, non ut vulgo creditur, publicae Atheniensium legationi navem illam sacram *Δηλιάδα* tribueret. Quid dicam de Lebegio, qui Gilbertii libello non perlecto in eosdem incidit errores, quos vel cumulavit, verbis illis Athenaei (VI, p. 234e): *ἐν Δηλίῳ παρασιτεῖν* ita intellectis, ut sibi persuaderet fuisse quotannis duos illos deliastas vel praecones e Solonis lege (!) derelictos Deli in insula ibique sumptibus publicis per totum vixisse annum: quasi *Δήλιον* possit unquam templum Apollinis Deli positum significare!

Haec iam dudum scripta erant, quum in Hermae vol. XXIII, p. 321 legi commilitonis mei Toepfferi disputationem doctissimam, qua tota haec quaestio explicate pertractatur et ad finem, ut mihi videtur, perducitur, sed quum auctor amicissimus eandem fere protulerit sententiam (minoribus quibusdam rebus exceptis), maiore tantum apparatu instructam et defensam, non mihi visum est quidquam immutare in disputatione mea.

pessumdato — eo tempore, quo post Medos repulsos ab Atheniensibus foedus constitutum esset vel imperium iis, qui hic laudantur, finibus circumscriptum.

Dicat fortasse quispiam: tune negas Athenienses amphictyoniae deliacae antiquitus participes fuisse, quum tamen memoriae traditum sit in omnes Cycladas ab iis esse colonias deductas![34]) Quam certe fabulam posteriore tantummodo tempore esse excogitatam, cum iam florerent Atheniensium res, Ionum vero adversa fortuna adflictarentur, testis mihi est gravissimus Homerus, qui non tam plane de Athenarum urbe tacuisset, si eam patriae suae Ionumque omnium existimasset metropolin. Maximi etiam mihi momenti esse videtur, quod tetrapolis Marathonia (ut conatus sum demonstrare in annotatione) propriam theoriam Delum mittere solita est e certarum familiarum gentilibus compositam: omnia talia gentium quarundam atque regionum Atticae privata et propria sacra ad vetustissimam pertinere antiquitatem certum est, quum nondum coniunctae erant per synoecismum huius civitatis partes; neque verisimile est hanc theoriam, privatam ut ita dicam, in usum venisse tota republica iam suam mittente. Quod pergrave existimo, quum reputo Marathona esse, unde Xuthus, Ionis e Creusa pater et nemo alius nisi Apollon ipse Ionum ἀρχηγέτης, Athenas venerit.[35]) Quae si recte disputavi, hac antiqua tetrapolis Marathoniensis cum Apolline Delio coniunctione, quae multo ante exstitit, quam cum aliis Atticae pagis in unam civitatem coalesceret, illustratur aliqua ex parte quaestio de Ionum gentis primordiis atque migrationibus: non enim equidem Ernesti Curtii viri illustrissimi opinionem non e Graecia primum Iones in Asiam pervenisse, verum via prorsus contraria mare Aegaeum transiisse, parvi facio et quo magis reputo, tanto probabilior mihi esse videtur.

Quoquo modo res se habet in quaestione hac perobscura, illud mihi minime videtur dubitationi obnoxium: non fuisse Athenienses antiquitus amphictyoniae deliacae participes. Neque septimo saeculo, quo tempore civitas intestinis discordiis divisa et exagitata in summas angustias venerit, quemquam puto posse animum in-

---

[34]) Isocrat. Panathen. § 43—44; Vell. Patercul. I, 4.

[35]) Strab. VIII, 7, 1.

ducere, ut credat rempublicam coepisse ad Apollinem Delium sacras legationes mittere, quum vix littorum suorum marisque adiacentis ob bellum Megaricum esset compos. Ceterum sub finem huius saeculi etiam amphictyonia Deliaca debilitata est, tot coloniis et ad orientem et ad occidentem versus deductis, tot civitatibus Ionum asiaticorum vel a Cimmeriis dirutis vel a Lydis subactis. Cuius rei maximum mihi est documentum, quod nulla fit per multos annos Apollinis Delii mentio, quum Delphicus deus saepenumero laudetur auctor urbis alicuius condendae; adferri etiam potest, quamquam multo post est factum, Croesum, quum et Delphicum Apollinem et Ismenium donis amplissimis ornaret,[36]) nullam habuisse Delii rationem, quod non fecisset, si ab Ionibus, qui in eius dicionem venerant, magnopere coleretur. Huc referenda puto etiam Thucydidis verba dicentis[37]) per longum tempus esse intermissos, qui quondam celebrati essent, ludos ob calamitates: quo verbo non Persarum bella eum designare vel inde patet, quod ludos commemoravit tanquam ob diuturnitatem temporis prorsus oblivione obrutos atque necesse habuit etiam Homerum testem afferre ut in re non omnibus nota.

Praeter has omnes alia etiam ratio eaque gravissima mihi praesto est, cur credam Solonis illam de deliastis, nobis non servatam, legem primam fuisse, qua publica Atheniensium civitatis legatio ad Apollinem Delium constitueretur. Constat Solonem ius sacrum ne minima quidem ex parte immutasse, quum ne leges quidem de homicidiis (Blutbann quod sermone vernaculo dicimus) attingere auderet: quae igitur hic novasse traditur, existimandus est in talibus rebus sanxisse, de quibus nihil adhuc lege cautum esset. Quid? quum notum sit praemium ab eo esse propositum iis, qui Olympiae vel Isthmiis victoriam reportarent,[38]) et quam maxime verisimile videatur non sine eo ludos Pythios denuo institutos post bellum sacrum, eius certe consilio gestum, quae causa est, cur negemus illum primum lege sanxisse, ut theoria Atheniensium quotannis Delum mitteretur, eo consilio videlicet, ut quum amphictyonia Deliaca, tanta civitate aucta, plus virium recuperaret, tum Athenae, tam antiquorum sollemnium participes factae, plus existi-

---

[36]) Herodot. I, 50—52. [37]) Thucydid. III, cap. 104.
[38]) Plut. Sol. cap. XXIII.

mationis obtinerent? Fortasse huic tempori est tribuenda etiam navis illa sacra (Delias), quae vulgo Theseo adscribebatur quaeque singula resarciendo omnibus partibus mutatis tamen semper manebat eadem, teste Plutarcho,[39]) usque ad Demetrii Phalerei tempora.

Interrupta est, credo, haec Athenarum amphictyoniaeque deliacae coniunctio discordiis civilibus, quibus brevi post leges a Solone constitutas ortis per quadraginta annos respublica vexata et exagitata est. Pisistratus tandem post duo exilia rerum nullo iam resistente potitus, quod anno 543 factum demonstravit Toepffer,[40]) magnam dedit operam famae reipublicae, imminutae ac paene exstinctae, apud exteros populos augendae et amplificandae: scimus ab eo Lygdamin vi armorum Naxi tyrannum constitutum, cum Polycrate Samio et Amynta Macedone foedus amicitiamque iuncta, Sigeum in Asia subactum, loca quaedam in Thracia occupata.[41]) Cui reipublicae administrandae rationi quam maxime consentaneum est, quod ab Herodoto Thucydideque traditur Pisistratum ex oraculi responso Delum insulam lustrasse, quantum quidem a templo conspici posset, mortuorum omnium ossibus effossis atque in aliam insulae partem translatis.[42]) Quam quidem lustrationem in se suscepit certe non pietatis tantum suae in deum demonstrandae causa, sed etiam eo consilio, ut patriae suae et *προστασίαν τοῦ ἱεροῦ*, ut Graeci appellabant, et simul omnium Ionum principatum vindicaret actione hac symbolica. Et sollemne ab eo sacrificium hac occasione deis insulae praesidibus oblatum ludosque celebratos, quas res semper scimus cum omni lustratione arctissime coniunctas, et theoriam a Solone institutam deliacam renovatam facile credas, etsi a scriptoribus non sit traditum, praesertim quum et Polycratem eius aemulum hoc fecisse notum sit et Pisistratus ipse Athenis Panathenaea et Dionysia *τὰ ἐν ἄστει* instituisse dicatur.

Ad hoc tempus, ut supra dixi, refero et poetis aliisque viris ingenio excellentibus, qui tyranni aulam frequentabant, adscribo fabulas illas quae sunt de Theseo amphictyoniam Deliacam instituente et coronam, pignus imperii maritimi, ab Amphitrite acci-

---

[39]) Plut. An seni respubl. ger. sit, cap. 6. [40]) Toepffer, Quaest. Pisistrat. Dorp. Livon. 1886, p. 141. [41]) Herodot. I, 61; 64; V, 65; 94. [42]) Herodot. I, 64. Thucydid. III, 104.

piente. Quin etiam credam tunc primum fuisse eum regum atticorum numero additum: testis mihi est gravissimus Homerus, qui Theseum ignoret vel filios eius Athenarum reges fuisse, Menestheum appellet Peteoi filium (qua re γενεαλογιῶν scriptores posterioris aetatis coacti sunt Theseum Athenis ab inimicis pulsum confingere)[43]) et ne mentionem quidem fecerit herois huius, nisi tribus locis, quorum est nullus, qui non aliquo modo in dubium vocetur — omnes Nitzschium secutus a Homero alienos puto interpolationique Pisistrateae deberi credo.[44]) Ne quis mihi obiiciat Cyclicos, quos nominant, poetas, Arctinum et Leschem, qui in Troiae expugnatione magnopere celebrasse dicuntur Thesei filios, Demophonta et Acamanta; nam ne his quidem auctoribus traditum est ullum praeclarum eorum facinus, nisi quod servitio liberasse dicuntur aviam suam Aethram, neque reges apud illos appellantur, sed mi-

---

43) Cfr. Plutarch. Thes. Cap. XXXII.

44) Hom Il. I, 265: *Θησέα τ' Αἰγεΐδην ἐπιείκελον ἀθανάτοισι*, quum in melioribus codicibus (Ven. A, Laurent. D, aliis) deesset, neque a Scholiasta Eustathioque commemoraretur, iam Wolfius (Prolegg. p. 27) Homero abiudicavit atque e Hesiodi scuto Herculis (v. 182) desumptum recte perspexit erravitque tantum in eo, quod a scriptore recenti quodam interpolatum censeret (exstat enim apud Pausaniam: X, 29, 10). Hom. Odyss. XI, v. 630: *Θησέα Πειρίθοόν τε θεῶν ἐρικύδεα τέκνα* Pisistratum Homero adscripsisse Hereas Megarensis est testis (Plutarch. Thes. XX), cui si etiam minus habendum esset fidei propter innatum Athenarum odium, versus ipse interpolationem tantum non clamaret: quum enim dicat Ulixes sibi incessisse desiderium *προτέρους ἄνδρας ἰδεῖν*, estne verisimile adiecisse eum sola Thesei Pirithoique nomina? In versibus Necyiae 321—25 dubitans haereo, sed ut eos quoque interpolatos credam, praeeuntibus aliis, magis inclino, permotus cum ipsorum obscuritate et Dionysi nominis forma attica (*Διόνυσος ἅπαξ διὰ τοῦ ο μικροῦ*: Cram. Anecd. Paris. III, 297, 24; quae forma nisi in hymnis ad Bacchum recentioribus non invenitur: Hymn. homer. VII, 56; XXVI, 1 et 11. Cfr. quae Wilamowitz dixit in libro: Aus Kydathen, p. 225) tum mentione Procridis, heroinae atticae et extra Atticam non satis cognitae; accedit, quod duas versuum horum lectiones, Aristophaneam unam, alteram Aristarcheam demonstravit Bergkius (Commentt. crit. spec. V. Marburg. ind. lect. aestiv. 1850, p. 8); versum certe 323: *ἐκ Κρήτης ἐς γοῦνον Ἀθηνάων ἱεράων* eiecit Aristarchus, teste Scholiasta in Apollon. Rhod III, 997.

lites tantum gregarii: quamobrem non credo audacius agere, si hos quoque versus interpolationi tribuo, quum et in Homero grassatum esse Pisistrati arbitrium iam dudum sit cognitum neque ab Homero Cyclum, quem appellare consuevimus, esse segregandum nuper demonstrarit Wilamowitzius. Certe heroes hi ambo male sunt a poetis habiti, de quibus praeter fabellas aliquot amatorias nihil memoriae tradiderint neque quidquam de uno, quod non de altero quoque narraretur: non enim habent definitam suam quisque personam, et ipsa nomina a patre ipso sunt desumpta, quum unum (*Ἄκαμας*) ad res eius bello gestas spectet, alterum (*Δημοφῶν*) ad democratiam ab eo Athenis institutam.[45]) Atque haec quoque fabula Pisistrati ingenium prodere videtur, quippe qui Thesei exemplo simul Athenarum dominus, simul democratiae defensor exstiterit. Quoquo modo res sese habet, hoc pro certo existimo: Pisistratidarum demum tempore Theseus factus est heros Ionum gentis proprius (Nationalheros ut nostri dicunt) ad similitudinem Herculis Dorici, a quo etiam *ἆθλα* eius quaedam repetenda sunt,[46]) et civitatis Atheniensis per synoecismum conditor, cuius rei magnum mihi sunt documentum Panathenaea *τὰ μεγάλα*, a

---

[45]) Aliter atque Wilamowitz-Moellendorf, qui unde sibi persuaserit fuisse eos antiquos populi Atheniensium heroas, postea demum Thesei filios factos (Kydathen. p. 101), nescio: mihi persuasum est antiquos vere heroas non esse unquam praeditos nominibus etymologiae tam perspicuae; quod etiam in Demophontis successores quadrat, filium Oxynten (ab *ὀξύνεσθαι* = exacerbari) et nepotes Apheidan (*ἀφειδεῖν* = non parcere) et Thymoeten (*θυμοῦσθαι* = graviter irasci), quorum etiam mores cum nominibus consensisse iam ab antiquis traditur: velim tam facile heroum genuinorum nomina explicentur — Deucalionis et Herculis, Iasonis et Achillis aliorumque innumerabilium.

[46]) Cuius rei optimum exemplum est taurus ille Marathonius, ab Hercule perdomitus. Miratus esse videtur quispiam, cur Hercules arcessendus fuisset, si suum habuissent Theseum Athenae: patria aberat, puer admodum apud Pittheum avum Troezene alebatur et tantum in pelle, credo, Herculis leonina magnum suum animum ostentabat; postea vero quum adultus Athenas venisset, vicit etiam taurum eundem Marathonium, ob hanc videlicet rem ab Hercule vinculis solutum. Aliud exemplum: Cerberum, Plutonis canem, abducere ausus est Hercules, Theseus conatus est potiri Persephone, uxore regis inferorum.

Pisistrato sine dubio instituta, Theseo vero adscripta. Hoc denique tempore recepti in regum atticorum tabulas et cum Medontidis quoquo modo iuncti et Melanthius et Codrus, Pylo Nestorea profecti (unde etiam Pisistrati gens Athenas venisse dicebatur), quum ante hoc genuini Athenarum *ἄρχοντες* fuissent Medontidae, Codridarum vero stirpe oriundi essent, qui Asiae civitatibus ionicis praeerant.[47]) Teste gravissimo utor Herodoto, qui non tam saepe neque tam multis verbis et omnes Iones genuinos ab Athenarum foco publico esse profectos et Codrum Atticae fuisse regem narravisset,[48]) nisi hoc non ita omnibus esset probatum, ut nostri vulgo credunt: quae religione populi sunt sancta carminibusque popularibus celebrata, nihil opus est data opera in memoriam hominum revocare.

Si quaeras, quo modo hae ab Atheniensibus fabulae confictae tam brevi tempore potuerint ab Ionibus recipi, credo praecipuam causam repetendam esse ab Ionum calamitatibus, quibus factum est, ut nisi ab Atheniensibus nullam sibi spem libertatis recuperandae reliquam viderent: et quam propensi fuerint Graeci ad tales fabulas, quae sibi prodessent, vel accipiendas vel confingendas, conicere licet e praeclaro illo exemplo, quod a Thucydide traditum est, ab Amphipolitanis Hagnonem, verum urbis suae conditorem, eiectum esse, Brasidam autem in eius locum receptum,[49]) quum ob statum rerum utilius iis videretur Lacedaemonio viro quam Atheniensi conditoris nomen et honores tribuere. Neque animum induco, ut putem ab omnibus statim Ionibus has fabulas vel creditas vel acceptas: quin etiam in Hecataei tot fragmentis ne unum quidem exstat, quo illae ad Athenas spectantes fabulae commemorentur, atque unicum, ubi rerum ab Atheniensibus gestarum (contentionis cum Pelasgis) fit mentio, rationem exhibet prorsus contrariam illi, quae ab Herodoto memoriae tradita est,[50]) — neque mirum, quum secutus sit He-

[47]) Cfr. quae de Phocaea in *δωδεκάπολιν* ionicam recepta tradidit Pausanias: VII, 3, 10. [48]) Herodot. I, 147; V, 65; 76. [49]) Thucydid. V, 11: *τὴν πόλιν (Βρασίδᾳ) ὡς οἰκιστῇ προσέθεσαν.* Cfr. etiam, quae de Adrasto Sicyone pulso ac de Melanippo in civitatem assumpto a Clisthene tyranno narrat Herodotus: V, 67. [50]) Hecat. fr. 362 ed. C. Müller, servatum a Herodoto: VI, 137.

cataeus partes Persarum, Herodotus vero sicut Pherecydes et Hellanicus (qui ambo fabulas atticas copiose pertractarunt) quam maxime faverit Atheniensium rebus.[51])

Longior videor fuisse in his rebus explicandis, sed demonstrare volui non fuisse illam a Pisistrato factam Deli lustrationem a tota rei gerendae ratione viri huius singularis alienam neque susceptam gloriae vanae captandae causa vel pietatis suae erga deum demonstrandae, immo arctissime coniunctam cum omnibus conatibus, quibus efficere studeret, ut popularibus omnium Ionum hegemoniam atque maris Aegaei imperium, ut iam Theseo promissum, patriae suae pararet.

Quum post sedecim regni annos mortem obiisset florente republica, filii eius consilia deseruerunt, sive ad talia animo concipienda indoles iis deerat, sive crescente in dies optimatium odio populique invidia prohibebantur: fortasse etiam impedimento iis fuit e parvis initiis brevi tempore aucta et supra omnem spem elata Polycratis Samii tyranni potentia. Qui quum multas Aegaei maris insulas dicto suo audientes reddidisset,[52]) Deli quoque in Pisistrati locum successisse atque *προστασίαν* templi arripuisse videtur. Traditum sane est esse ab eo ludos Apollini celebratos et eximio quidem apparatu: nam et Rheneam insulam catenis ad Delum ferreis religatam deo dicavit,[53]) et sacra ipsa praeclara eum fecisse magnificentia testimonium habeo illud, quod dedit interroganti, num esset deo accepta caerimonia, Pythia responsum: »en tibi et Delia et Pythia«;[54]) quod quidem eo certe est sensu dictum, ut significaret unum eum fecisse sollemne tanto apparatu, qui vel duobus sufficeret, postea vero, quum non ita multo post Delia peracta ante Pythia celebrata insperata morte obiisset, ab Oroete Sardium satrapa cruci adfixus, homines, attoniti tam repentino viri felicissimi exitu, ita interpretati sunt, quasi tecte

---

[51]) Quod demonstrare conatus sum alio »de logographis« opusculo meo, rossica lingua conscripto. [52]) Herodot. III, 39sqq.; 122.

[53]) Thucydid. III, 104. [54]) Suid. et Phot. s. v. *Πύθια*. Lexicographi interpretantur eum et Delia et Pythia Apollini Delio celebrasse, quod ex ipso certe oraculo male confinxerunt: comicus tantummodo poeta Mercurio polliceri potuit omnia ceterorum deorum sollemnia ei celebratum iri.

monuisset eum oraculum, ut Deliorum apparatum pertinere putaret etiam ad Pythia; nam haec eum non iam esse celebraturum.

Iam venimus ad tempora, quibus Persarum potentia, regnis orientalibus eversis Graecisque subactis, qui Asiam incolebant, Graeciae ipsi insulisque maris Aegaei minitari coepit; sed priusquam ad bella Medica animum advertamus, pauca nobis dicenda sunt de monumentis aliquot epigraphicis, quae ad hanc historiae Deliacae primam aetatem pertinent. Quae in mente habeo, quattuor sunt, quorum unum iam dudum est cognitum, tria vero, proximo decennio inventa, viri doctissimi Homollii labori ac studio debentur.

Omnium vetustissimum est, quod nuperrime ille litteris tantummodo ad Ministerium datis publici iuris fecit;[55]) haec *βουστροφηδὸν* ut dicitur scripta exstant: *Ϝιφικαρτίδης ⋮ μ᾽ἀ ⋮ νέθεκε ⋮ ho Νάhσιος ⋮ ποιέσας*. Antiquissimum est Naxi insulae alphabetum, quod e Nicandrae quoque dedicatione, item Deli reperta,[56]) nobis erat iam cognitum: ne verba faciam de theta cum cruce intus scripta ac de heta supra et infra clausa, quae in titulo tam vetusto aliter esse non possunt, habes et »*hσ*« pro »*ξ*« scriptum et heta duos sonos diversos — spiritum asperum et »e« vocalem — exprimentem, quorum prius nisi in alphabeto Naxio nusquam invenitur, alterum in titulis solum antiquissimis ionica litteratura exaratis; vides heta pro illo tantum e-sono adhibitum, quem apud Iones ex »a« primitivo ortum scimus, quum omnia alia »e« et brevia et longa (in *ἀνέθηκε* voce) per e *φιλόν* sint scripta secundum legem, quam vir doctissimus Dittenbergerus investigavit[57]) quaeque omnibus Naxi et Cei insularum titulis est communis atque propria. Quae omnia quum iam sufficiant ad insignem tituli huius vetustatem demonstrandam, accedit, quod unam exhibeat litteram in alphabeto ionico permature deperditam — *Ϝ* dico. Cave tamen, ne signo huic nimium tribuas auctoritatis et speciosa ratione in errorem inductus, multo antiquiorem putes esse nostrum notissimis illis Psammetichi mercennariorum titulis: exstat enim hoc misere exagitatum *Ϝ* in

---

[55]) »Rapport sur une mission archéologique dans l'ile de Délos« p. 20. Postquam haec iam scripsi edita est tituli imago photographica: Bull. d. Corr. Hell. XII (1888), tab. XIII. [56]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 4 sqq. = I. G. A. 407. [57]) Hermae vol. XV, p. 229.

verbis statuae magnae, quam Naxii iidem Apollini dicaverunt, basi inscriptis,[58]) qui titulus, saeculo sexto vix est antiquior. Quae mihi reputanti persuadetur esse illum Fiphicartidis sculptoris titulum ad septimi saeculi partem alteram referendum item atque Nicandrae dedicationem iam laudatam. Nihilominus vetustissimum est artificis graeci de arte sua testimonium et aetate praecedit clarissimum illum Archermi Micciadisque artificum titulum, ipsum quoque Deli repertum,[59]) quem medio saeculo sexto vix esse antiquiorem discimus e genealogia eorum a Plinio nobis tradita:[60]) nepotes enim Micciadis, Archermi filios fuisse testatur Athenim Bupalumque illos ex contumeliis vehementissimis notos Hipponactis poetae, quem circiter Ol. 60 vixisse ibidem dicit constare, in quo ei assentitur Marmor Parium.[61]) Non meum est genus scripturae pluribus persequi: iu titulo antiquissimo quae mentione digna visa sunt, paucis iam exposui; hoc tantum addam Archermi titulum, qui inter omnes solus Deliorum scripturam propriam videtur exhibere, exaratum esse litteris alphabeti, ut verbo utar, insulani – Pariis, Thasiis, Siphniis et partim Naxiis quoque communis.[62])

Quibus e titulis perspicere licet res insulae quam maxime floruisse hoc tempore, scil. saeculo sexto, templumque dei et a privatis et a civitatibus magnopere cultum atque exornatum multis statuis donisque: tres enim artifices novimus, qui primitias operum suorum Apollini dicaverunt, quod non fecissent, nisi et longius in insula versati essent et satis lucri ex arte sua percepissent deo iuvante, cui donis suis gratiam referunt, simul sperantes eandem illum in posterum quoque opem praestaturum. Neque specimina horum operum nobis desunt: quanquam de colosso Apollinis, quem Naxio-

---

58) I. G. A. no. 409. 59) Bull. d. Corr. Hell. V, p. 272 et VII, p. 254. Cfr. Loewy, Inschriften griech. Bildhauer, no. 1. 60) Plin. Hist. Nat. XXXVI, 4, 2. 61) Marm. par. lin. 58: ad Ol. 59, 3 refertur.

62) Cfr. Kirchhoff, Stud. z. Gesch. d. gr. Alph.[4] § 21 et 22 et tab. I, coll. XV—XVI. Cuius rei mentionem feci, quia hoc quoque alphabeti testimonio arctior quaedam Cycladum insularum coniunctio mihi quam maxime videtur demonstrari, praecipue cum *O* et *Ω* litteris (fortasse etiam *E* et *H*) aliter atque apud Iones adhibitis, tum *Ϝ* signo hic longius servato, illic iam pridem deperdito.

rum civitatem dicasse scriptores quoque antiqui testantur,[63]) nihil praeter basim titulumque dedicatorium (posteriore tempore incisum) usque ad nostram aetatem permansit (Bondelmontius quidem etiam se vidisse eum in terra prostratum affirmat), et de Fiphicratidis opere donoque pedes tantummodo in basi etiam nunc exstant — conservata est statua, ut pro certo habeo, Artemidis alatae, quam artifices Chii confecisse creduntur, permansit simulacrum deae, a Nicandra dicatum aliaque nonnulla, quae Homollius cum in Diario scholae francogallicae,[64]) tum in dissertatione sua, quae inscribitur »de antiquissimis Dianae simulacris deliacis«, publici iuris fecit. Neque est praetereunda, quanquam iam antiquitatis tempore periit, statua illa clarissima Apollinis, quam Tectaeum et Angeliona artifices confecisse testis est Pausanias:[65]) dextrae arcus inerat, sinistrae in palma Charites stabant, lyram una, altera tibiam, media syringa tenens; quae nobis statua cum e Pausaniae et meliore Plutarchi descriptione est cognita,[66]) tum ex imitatione in *παρασήμοις* aliquot tetradrachmarum atticarum secundi ante Christ. n. saeculi.[67]) Huius statuae, ut non exstantis, mentionem non fecissem, nisi commemoratam eam fuisse in templi inventariis sollerti sane ratiocinatione demonstrasset Homollius,[68]) collatis archontis Demaris anni rationibus iisque, quae Sosisthene archonte (a. 250) erant perscriptae, unde discimus eam tertio etiam saeculo et cultam esse et coronis aureis a Stratonice regina donatis simul cum Charitum signis ornatam, quarum e pondere, quum Apollinis capiti imposita maior 600 dr. amplius, Charitum circiter denas quaeque penderet, de magnitudine ipsorum signorum coniecturam facere licet.

Sed de titulis illis antiquissimis Deli repertis aliud etiam monere volo, quod fortasse maioris etiam est momenti ad historiam insulae illustrandam. Quattuor exstant inscriptiones operum artis statuariae Apollini Delio dedicatorum; trium artificum no-

---

63) Plutarch. Nic. 3. 64) »Sur quelques monuments figurés trouvés à Délos«: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 29. 65) Pausan. II, 32, 5; IX, 35, 3. 66) Pausan. IX, 35, 3; Ps.-Plutarch. de Mus. 14.

67) Quattuor sunt delineatae apud Beulé: »Monnais d'Athènes« p. 364, una a Furtwaenglero in Diario archeologico 1882, p. 332; ipse contuli exemplar pulcherrimum, quod exstat apud Gardnerum: »Types of greek coins«, Tab. XV, no. 29. 68) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 128.

mina leguntur, quorum unus vir Naxius, Chio insula oriundi duo, Delius — nemo; tria sunt privatorum hominum Naxiorum aut Chiorum *ἀναθήματα*, unum est reipublicae Naxiae, hominis Delii vel civitatis Deliacae — nullum. Satis haec pro se ipsa loquuntur: venerantur sacram insulam alii, non Delii; exornant *ἱερὸν τέμενος* Apollinis operibus ab alienigenis factis, non a Deliis; locupletant templum dei donis suis alii, non Delii. Quae omnia satis grato, credo, sunt perpessi animo: itaque non est, cur commiseremur, quod postea etiam rerum templi administratio atque sollemnium actio aliis contigerunt, non Deliis.

II.

Hoc tempore, quum iam Graecorum civitates in Asiae oris sitae insulaeque adiacentes sub Persarum potestate essent, necessitate magis, quam imperandi cupiditate factum est, ut Persae totam Graeciam sub dicionem suam redigere conarentur. Nam neque hac ex parte Darei regno certus finis a natura ipsa positus erat, quum mare alibi dissociabile, ut ait Horatius, hic potius ponte quasi interiecto littora Asiae Europaeque coniungeret, neque satis tutum esse poterat Persarum imperium a Graecorum, qui Asiam incolebant, seditionibus nisi tota Graecia subacta omnem iis spem libertatis recuperandae demerent; accedebat, quod et Graeci ipsi, semper civilibus discordiis exagitati, omnibus temporibus parati essent patriae libertatem partium commodis postponere ac dummodo summam civitatis obtinerent, alienas opes adsciscere in auxilium. Quibus causis aliisque minoribus atque fortuitis effectum est, ut initio saeculi quinti memorabile illud Asiae Europaeque bellum exardesceret, cuius nobis praeco clarissimus exstat Herodotus. Non hic certe locus est illius vicissitudines longius persequendi: eorum tantummodo mentionem faciam, quae ad Delum ipsam attinent.

Auctore Herodoto[1]) et creditur et narratur sine ulla dubi-

---

[1]) Herodot. VI, 97.

tatione: quum Datis, expeditioni Persarum secundae praefectus, iam Naxum insulam, Cycladum omnium principem, popularetur, hoc exemplo Delios perterritos Tenum profugisse, sed esse per praecones in patriam revocatos a Datide, et suo ipsius animo et iussu Darei regis duorum deorum maiestatem Deliorumque sanctitatem tam magnopere reverente, ut ne classem quidem ad Delum appellere auderet, sed in Rhenea insula consisteret indeque profectus ad aram Apollinis trecenta turis talenta combureret. Fuerunt etiam, qui hanc Persarum ducis erga deum pietatem conarentur ita explicare, ut opinarentur vel Apollinem a Datide eundem esse habitum atque Mithram persicum, vel fuisse quondam Deli deos quosdam orientales cultos, quorum tunc memoria permotus sacrificium fecerit. Sed priusquam de causis disseramus dei a Persis honorati, quo e fonte totam hanc narrationem Herodotus hauserit, est quaerendum; neque ad investigandum difficile est, si reputamus et de aliis praeter Naxum Cycladibus, quomodo essent a Persis subactae, prorsus eum tacuisse (quia videlicet ei non cognitum erat) et Deli eum longius commoratum e locorum accuratissima scientia perspici. Sed quid verba facio, quum ipse paullo post Delios nominatim sibi auctores fuisse dicat! Quibus perspectis, iam suspicioni locus datur esse totam hanc narrationem a Deliis in honorem insulae suae confictam, augeturque haec suspicio et ad certum perducitur, si altius in rem inquirimus. Ut missa faciam, quam non sit verisimile trecenta secum Datim turis talenta navibus vexisse, quam inepte inventum Rheneae, non Deli constitisse Persarum classem, quum vix tota freto inter illas insulas interposito angustissimo caperetur — sunt enim haec minora quaeque facile ad amplificandam orationem inventa esse possunt —, quam est incredibilis, quam a vero prorsus abhorrens tota haec narratio! Devastata Naxo profugisse se Delii dicebant; at Naxii Persis resistere sunt conati, insulas vero reliquas iam ante expeditionem factam terram aquamque iis dedisse signum oboedientiae diserte testatur idem Herodotus:[2]) an credemus dictis Darei regis obtemperasse viribus

[2]) Herodot. VI, 49: *πάντες δὲ νησιῶται ἐς τοὺς ἀπικοίατο* (scil. *οἱ κήρυκες*) *ἔδοσαν τὰ προΐσχετο αἰτέων ὁ Πέρσης, οἵ τε δὴ ἄλλοι νησιῶται διδοῦσι γῆν τε καὶ ὕδωρ Δαρείῳ, καὶ δὴ καὶ Αἰγινῆται.*

navalibus florentes Aeginetas, parvulae insulae incolas sprevisse ea Delios? qui praesertim nunquam libertatem suam defendere ausi sint, nisi baculis, Amphictyones scilicet verberantes. Sed ut concedam tam magnum eos habuisse animum, Tenum cur profugerent, ubi incolis iam Persarum imperio parentibus quomodo tuti esse potuerint, ne hostibus postulantibus vincti dederentur, non satis perspicio? Quae si recte se habent, non est cur miremur, qua de causa Apollinis templo Persae pepercerint: devastata ab iis multa scimus deorum delubra, sed nusquam in civitatibus vel amicis vel ultro sub dicionem venientibus, quibus Deliorum quoque rempublicam adnumerandam demonstrasse mihi videor, nisi quis forte coniiciat exiguam eorum insulam tantopere esse a Persis contemptam, ut ne praecones quidem in eam mittendos esse putarent ad terram aquamque postulandas[3]) — quae quantum distent a Deliorum fabulis, nemo est, qui non videat. Ut paucis sententiam meam complectar: ficta est a Deliis tota haec narratio, ut Datidis, Persae hominis atque hostis, erga deum insulamque sacram venerationi opponerent Atheniensium et popularium et sociorum in se vexationes. Refelleretur haec mea opinio, si revera in donorum inventariis deliacis, ut Homollio visum, a Datide dicata corona aurea exstaret:[4]) quanquam etiam tunc, credo, huic coronae, nescio quibus in latebris per duo amplius saecula latenti subitoque in lucem editae, perniciosa esset Eriphylae illius monilis clarissimi vicinitas;[5]) nunc vero ex Homollio ipso audivi fuisse eum falsa litterarum prope evanidarum specie deceptum.

Quae si ita se habent, permansit Delus, credo, simul cum ceteris insulis adiacentibus, quae etiam naves ad Xerxis classem mittere coactae sunt, in Persarum potestate usque ad pugnam illam Salaminiam; qua facta statim videntur Cyclades libertatem pristinam recuperasse atque ad societatem omnium Graecorum communem se applicasse, quoniam tripodi illi Delphico inscripta sunt etiam aliquot insulanorum nomina.[6]) Vere certe insequentis

---

[3]) Exstisse huiusmodi aliquas verbis, quae in nota antecedente attuli, Herodoti effici videtur. [4]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 152: Hypsoclis arch. inventar. inedit. l. 95—96. [5]) Demar. invent. l. 200.

[6]) Cfr. nunc tabulam, quam in Annal. archaeolog. vol. I ad p. 176 adiecit Fabricius.

anni scimus sociorum classem diutius ad Delum insulam commoratam et inde aliquot post mensibus profectam ad Ioniam liberandam, Leotychide duce.[7])

Postquam Lacedaemoniorum socordia Pausaniaeque regis superbia effectum est, ut a sociis summa belli gerendi ad Athenienses deferretur, Aristidis potissimum sapientia et moderatione anno, ut vulgo putatur, 476 constituta est Aegaei maris accolarum societas, quam primum Atheniensium imperium maritimum appellare consuevimus vel societatem attico-deliacam. Quo tempore cognitum e Thucydide habemus[8]) esse Delum electam, ubi et sociorum legati ad communes res deliberandas convenirent et tributa ad bellum cum Persis gerendum conferrentur atque a magistratibus atticis, quibus Ἑλληνοταμιῶν superbum nomen inditum, administrarentur in Apollinis templo. Sitne hoc tempore deo perpensa, quae postea Minervae, sexagesima tributorum, non illud quidem est memoriae traditum, valde tamen probabile, quum nihil aliud fuerit nisi locationis pretium, deo persolutum pro loco ad pecuniam servandam in eius templo occupato. Deli eligendae causa, ut iam alii viderunt, fuit cum insulae exiguitas, quae sociis invidiae esse non posset, tum Amphictyoniae antiquitus ibi constitutae memoria, quae tunc demum, ut supra dixi, pro Panionica est habita. Nescio an hoc venerationis signo erga Apollinem non magnopere sint gavisi Delii, quamvis, ob insulae videlicet sanctitatem, tributorum omnium immunes essent: quod quamquam non a scriptoribus traditum est, tamen tributorum laterculis demonstratur; nam quae quidem insularis provinciae rationes exstant, in eis nusquam Deliorum fit mentio. Sed templum Apollinis, quum pro communi sociorum aerario esset et plus certe alienae pecuniae contineret quam propriae, brevi magis Atheniensium quam Deliorum futurum non magnae erat sollertiae perspicere. Atque Athenienses illud, ut commune videlicet totius societatis, cuius ipsi essent principes, tam constanter in sua potestate retinebant, ut ne tum quidem desistere hac possessione iis placeret, quum aerarium Athenas inde transtulissent. Quod Koehlerum aliosque viros doctos secutus Ol. 81, 3 = 454 a. Chr. n. factum existimo contra

---

[7]) Herodot. VIII, 132—133; IX, 90. [8]) Thucydid. I, 96: ταμιεῖόν τε Δῆλος ἦν αὐτοῖς καὶ αἱ ξύνοδοι ἐς τὸ ἱερὸν ἐγίγνοντο.

Attingeri sententiam, quam quidem mihi impugnandam non censeo: qui enim Iustini narrationes Diodorique inextricabilem illam chronologiam disertis inscriptionum testimoniis anteponit, vel in republica Atheniensi, ut unius Periclis bonae fidei per sex annos crederentur tot milia talentum, fieri potuisse et existimat et aliis etiam persuadere conatur,[9]) cum illo non mihi est disputandum. Supervacaneum quoque existimo investigare, quibus rationibus permotus populus Atheniensis aerarium Delo Athenas transferendum decreverit: gravissimam fuisse causam inter omnes, credo, constat imperii in socios firmandi tutandique consilium, quibus vero rationibus, minus magisve speciosis, illam suam imperandi cupiditatem praetexuerint, nihil hoc curo et confido satis Periclis aliorumque ingenio, ut optima eos excogitasse credam.

Lamententur sane rhetores quidam antiqui et nostri aliquot miti admodum animo praediti de Atheniensium in socios iniustitia laudentque ut pulcherrime dictum Aristidis illud:[10]) rem esse Atheniensibus utilissimam, in socios iniustissimam. Equidem et Aristidem credo, cuius »e fronte, velut e sulco profundo, altae cogitationes orirentur«, nunquam haec tam inepte dixisse et admiror totam hanc reipublicae gerendae rationem, praeclaram illam dignamque summi viri ingenio: nullum est enim imperium, quod sine aliqua iniuria constituatur, nullum, quod sine aliquo partium incommodo firmetur, et fuit sane hoc tempus et Athenarum et totius Graeciae gloriosissimum ac quocum paucae tantummodo universae historiae aetates possent comparari — conati sunt omnes Graeciae urbes populosque in unam societatem coniungere, sed — *ἀνένευσε Κρονίων*. Vereamur igitur contumeliis offendere magnorum virorum Manes iniustos eos appellantes, qui pecunias solum a sociis exigebant, corpora sua pro illis obiiciebant vitamque: ut taceant homines, lapides loquentur — testis ille clarissimus illorum centum septuaginta septem, qui una e tribu uno anno occubuerunt,[11]) in sepulcro positus.

Haec si quis non ad rem pertinere arbitretur, errat: inest enim cum in alios socios, tum in Delios rei gerendae rationis excusatio, quum ne post aerarium quidem Delo avectum Athenienses Apol-

---

[9]) Attinger, »Beiträge zur Gesch. von Delos« p. 9 ff. [10]) Plutarch. Aristid. cap. 25. [11]) C. I. A. I, 433.

linis templum eorum arbitrio administrari sint passi. Qui fuerint Atheniensium magistratus, quibus templi deliaci aerariique sacri administrandi cura esset permissa, quoque nomine appellati sint hoc tempore, ne coniiciendo quidem assequi possumus, sed quae mihi diligentissime perscrutanti verisimillima visa sunt, tacere nolo. Quum in pecuniarum rationibus templi deliaci, Glaucippo archonte promulgatis[12]) (de quibus infra uberius agetur), magistratus templum curantes non simpliciter Ἀμφικτύονες, sed adiecto Ἀθηναίων nomine appellentur, nescio an sint primo Amphictyonum nomine usi legati et ad res communes in synedrio deliberandas et ad sollemnia deo celebranda ab Amphictyoniae deliacae sociis missi, atque ita quidem, ut suae quisque civitatis nomen communi Amphictyonum nomini adiiceret: postea, quum Athenienses totam synedrii auctoritatem in se solos deflexissent, eorum amphictyones res sacras templumque administrarunt suo arbitrio, theororum tantummodo muneribus functi sunt reliqui Quod certum est, et his sociorum legatis Amphictyonum nomen optime conveniat — nullum est enim aliud traditum — et exstant certe in posterioris temporis titulo (lapidem dico Sandwicensem[13]) quidam Ἀνδρίων Ἀμφικτύονες iisdem, quae antiquioribus illis modo tribui, muneribus functi.[14]) Sed quam sint haec dubia atque incerta, minime me fugit.

Quocunque sunt appellati nomine, documentum certe magistratus hi attici nobis reliquerunt rerum a se gestarum — lapidem dico ad Prytaneum Athenis effossum primoque a Rossio in Iahnii annalibus editum, a Boeckhio vero luculentissimo commentario ornatum.[15]) Insunt rationes pecuniarum et fundorum aliorumque dei praediorum locationes, perscriptae a magistratibus, qui munus obierunt Cratete Athenis archonte (a. 434/33). In hoc dissentio a

---

12) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 283. 13) C. I. A. II, 814.

14) Quod Boeckhius dixit non fuisse hos magistratus Amphictyonas, quia non per eandem annorum seriem ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια munere fungerentur, erravit, deceptus lapidis Sandwicensis testimonio, quem specimen rationum ab Amphictyonibus perscriptarum putabat, quum de solita norma eum ipsum deflexisse ostenderint tituli nuper reperti, ut suo loco demonstrare conabor. 15) Sitz.-Ber. d. preussisch. Acad. 1834 = Klein. Schrift. V, p. 430, nunc exstat in C. I. A. I, 283.

Boeckhio, qui sibi persuasit exstare duorum collegiorum rationes vel unius, quod per plures annos munere esset functum. Hoc ipse dixit non esse veri simile, illud vero in animum induxit, quia menses, a quibus incipientes fundos locassent, non unius esse anni videbat archontis Cratetis, sed etiam illius, qui huic successit, Apseudis: quasi non potuerint magistratus fundos, quos brevi post locatione liberos fore nossent, iam in posterum annum collocare, si pretium iustum offerretur: praesertim quum locationum omnino pacta non suo nomine tantum facerent (erant enim decem annorum), sed quibus etiam sequentia magistratuum collegia tenerentur. Mihi quidem, quum nullo modo secernantur qui a Metagitnione mense archonte Cratete pecunias sacras mutuas dederunt magistratus ab iis, qui fundos locaverunt inde ab Anthesterione (?) mense archonte Apseude, unum idemque fuisse collegium, quod res omnes perscriptas gesserit, statuendum videtur.. Dubitare tantum licet, fueritne annuum, neque habemus, qua ratione quaestionem hanc diiudicemus e titulo nostro, sed quum posteriore tempore, et quinto iam saeculo et deinde quarto, magistratus hi semper annui fuerint, quod infra ostendam, non est cur aliud tunc lege sanctum fuisse credamus.

Ceterum Boeckhii commentario locupletissimo quae adiiciam, pauca sunt atque eiusmodi, ut viro doctissimo nondum cognita esse potuerint. Archontes enim deliacos non per idem tempus, per quod Atheniensium, munus obiisse e liberae reipublicae Deliorum titulis nuper tantum cognovimus, unde apparet uniuscuiusque annum a Lenaeone mense incepisse, qui in Gameliona cadit atticum, finitum Posideone amborum fastis communi. Quod institutum non dubito et ad haec, de quibus verba facio, tempora et ad antiquiora etiam his transferre, quippe cuius causa in tota fastorum deliacorum ratione sit posita, anno non post aestiva (ut Athenis), sed post hiberna solstitia incipiente. Quos fastos antiquitus omnium Ionum fuisse communes documento sunt multorum mensium nomina, quae eadem in diversis exstant civitatibus atque desumpta sunt — quod maximi habendum censeo — a sollemnibus deorum vetustissimis.[16]) Quamobrem hunc quoque fastorum ordinem, ut

[16]) Ut certissima tantum afferam exempli gratia: Lenaeon, iam a Hesiodo commemoratus (Ἔργ. κ. Ἡμ. 504), qui nomen ducit a Lenaeorum

annus post hiberna inceperit solstitia, minime dubito ad antiquissima referre tempora, praesertim quum etiam Atheniensium annum, quem non diversum fuisse collatis mensium nominibus coniicias, ab eodem esse orsum tempore mensis ille intercalaris — ποσειδεὼν δεύτερος appellatus — demonstrare videatur: qui in medium, ut nobis nunc est cognitum, annum incidit, in pristinis autem fastis post ultimum anni mensem nescio an adiici solitus sit, quod magis rationi esse consentaneum nemo est, qui non videat. Quoquo modo hac de re iudicandum est, pro certo habeo fastos deliacos, in quibus a Lenaeone mense annus inciperet, neque liberae tantummodo reipublicae tempore in usum venisse neque antiquitus institutos esse ab Atheniensibus immutatos: qui quum archontes deliaci quominus munere solito more fungerentur, non obstiterint, verisimile non est eos tempus, quo magistratum inirent, commutasse.

Quoniam ad fastos Deliacos pertractandos res ipsa me detulit, aliud etiam monere volo. Dixit Homollius, cui omnem

---

festis in honorem Dionysi Lenaei celebratis post peractos vindemiae labores, invenitur et Cyzici (C. I. G. 3664) et Smyrnae (C. I. G. 3137) et Erythris (Rev. Arch. XXXIV, p. 107) et Lampsaci (C. I. G. add. 3641 b) et Myconi (Ἀϑήν. II, p. 237). Thargelion, quo mense Apollo sororque eius nati apud Delios (et credo omnes Iones) dicebantur et festa eis Thargelia agebantur antiquissimo lustrandi ritu (καϑαρμοί) insignia (cfr. Toepfferi contra Spengelium disputationem doctissimam im Mus. Rhen. XLIII, p. 142), occurrit nobis Teni (C. I. G. 2338) et Pergami (C. I. G. 3562).

Apaturion ab Apaturiis dictus, quae sollemnia arctissime erant coniuncta cum sacris gentiliciis et celebrata signum existimabantur ac quasi pignus originis vere ionicae, ut dicit Herodotus: Εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες ὅσοι Ἀπατούρια ἄγουσι ἑορτήν (Herod. I, 147), exstat in fastis Cyzicenis (C. I. G. 3661 et 3664) et Teniis (C. I. G. 2338). Posideon quoque mensis quin antiquitus apud omnes Iones in usu fuerit, non est dubitandum, quum constet religiosissime cultum esse ab omnibus eorum gentibus hunc deum et ad Aegion in Aegialo peloponnesiaco et ad πανιώνιον in dodecapoli asiatica, neque mirum, quod hic potissimum mensis (December noster) sit ab eius nomine appellatus, quum certe ob anni tempus maxime deceret sacrificiis placare ἐννοσίγαιον; invenitur certe multis in locis: Teni (C. I. G. 2338), Cyzici (C. I. G. 3664), Myconi (Ἀϑήν. II, p. 237), Ephesi (C. I. G. 3028), Erythris (Rev. arch. l. c.).

fastorum deliacorum notionem debemus,[17]) non solum annum deliacum secundo unius semestri et primo alterius attici respondere, sed in unoquoque mense hoc idem evenisse, ut partim in unum, partim in sequentem mensem atticum caderet, tabula ad demonstrandum usus hunc in modum confecta:

Menses deliaci		*Menses attici*
Thargelion	=	Thargelion.
Panemos	=	Scirophorion.
Hecatombaion	=	Hecatombaion.
Metageitnion		—
Buphonion	=	Metageitnion.
Apaturion	=	Boedromion.
Aresion	=	Pyanopsion.
Posideon	=	Maimacterion.
Lenaion	=	Posideon.
Hieros	=	Gamelion.
Galaxion	=	Anthesterion.
Artemision	=	Elaphebolion.
—		Munychion.

Ad quam tabulam conficiendam ei praesto fuerunt tituli duo a magistratibus atticis perscripti: lapis ille, qui Sandwicensis appellatur, adiecto, quod nuper est inventum, fragmento,[18]) ubi Thargelion et Panemus deliaci Thargelioni Scirophorionique atticis respondent, et titulus ipse, de quo modo verba feci, Cratete archonte litteris mandatus,[19]) unde Buphoniona deliacum convenire cum Metagitnione attico perspicimus. Hinc profectus, reliquos qua ratione sibi respondeant, facile quidem invenit, sed lacunas duas indicavit, quum neque Metagitnion deliacus, neque Munychion atticus habeant, cui in alteris fastis comparentur mensi: ad quas tollendas adhibuit, quam supra dixi, medelam, ut alteri cum alteris tali modo convenirent:

1. Lenaion . . { a medio Posideone / ad medium Gameliona.
2. Hieros . . . { a medio Gamelione / ad medium Anthesteriona.

---

[17]) Homolle »le calendrier délien« Bull. d. Corr. Hell. V, p. 25 sqq.
[18]) C. I. A. II, 814. [19]) C. I. A. I, 283.

3. Galaxion . .	a medio Anthesterione ad medium Elapheboliona.
4. Astemision .	a medio Elaphebolione ad medium Munychiona.
5. Thargelion .	a medio Munychione ad medium Thargeliona.
6. Panemos . .	a medio Thargelione ad medium Sciropheriona.
7. Hecatombaion	a medio Sciropherione ad medium Hecatombaiona.
8. Metageitnion .	a medio Hecatombaione ad medium Metageitniona.
9. Buphonion .	a medio Metageitnione ad medium Boedromiona.
10. Apaturion. .	a medio Boedromione ad medium Pyanopsiona.
11. Aresion . .	a medio Pyanopsione ad medium Maimacteriona.
12. Posideon . .	a medio Maimacterione. ad medium Posideona.

Tali ratione adhibita, lacunae quidem explentur, sed aliae oriuntur difficultates. Iam in nostro titulo quum exstent verba: »ἄρχει (scil. locationum) Μεταγειτνιὼν μὴν Ἀθήνησι, ἐν Δήλῳ δὲ Βουφονιὼν μήν«, et locationes non a toto mense, sed a die una constituta initium capere dicantur necesse sit, a prima scilicet eius, qui nominatim adfertur mensis, dubium est, utrum a Metagitnionis attici an Buphonionis deliaci die prima dies computandi sint. Deinde septimum cuiusque mensis diem apud Athenienses sacrum fuisse Apollinis notum est itidemque scimus eundem diem septimum apud Delios quoque natalem Apollinis habitum — mirum igitur foret, si numerus tantum diei, non dies ipse conveniret. Sed quod est gravissimum, nulli exstant fasti ullius populi graeci, ubi menses non a νουμηνίᾳ, quae dicitur, initium ceperint, quod in deliaco eveniret, si Homollii rationem sequeremur. Sed alia est lacunarum illarum medela eaque facillima, quam viro doctissimo non venisse in mentem admodum miror. Scimus in plurimis Graeciae civitatibus fuisse hoc tempore in usu ὀκτετηρίδα quae vocatur, tali modo constitutam, ut octo annorum

tres mense intercalario augerentur, cognitumque habemus non ab eodem apud omnes populos anno eam esse orsam. Quae si reputamus, facillime levatur omnis difficultas in fastorum deliacorum mensibus cum atticis comparandis: si annum eius, qui Cratetem praecessit, archontis Antiochidis fuisse intercalatum coniicimus, Deli vero simplicem, tabula confici potest hunc in modum:

Menses deliaci.		*attici.*
Lenaion	=	Gamelion
Hieros	=	Anthesterion
Galaxion	=	Elaphebolion
Artemision	=	Munychion
Thargelion	=	Thargelion
Panemos	=	Scirophorion
		(*arch. Antiochides*)
Hecatombaion	=	Hecatombaion
Metageitnion	=	Metageitnion
Buphonion	=	Boedromion
Apaturion	=	Pyanopsion
Aresion	=	Maimacterion
Posideon	=	Posideon
(*arch. Eupteres*)		
Lenaion	=	Posideon *δεύτερος*
Hieros	=	Gamelion
Galaxion	=	Anthesterion
Artemision	=	Elaphebolion
Thargelion	=	Munychion
Panemos	=	Thargelion
Hecatombaion	=	Scirophorion
		(*arch. Crates*)
Metageitnion	=	Hecatombaion
Buphonion	=	Metageitnion
Apaturion	=	Boedromion
Aresion	=	Pyanopsion
Posideon	=	Maimacterion
[*μὴν ἐμβολιμαῖος*]	=	Posideon

Atque probantur, quae coniectando assecutus sum, Boeckhii in annis intercalaribus fastorum atticorum computandis ratione adhibita: qui quum demonstrarit in omni Olympiade numeri imparis

primum ac tertium (vel quartum) annum fuisse intercalarem, in pari vero tantummodo secundum, hoc ipsum evenit in Antiochidis archontis anno, qui fuit Olympiadis octogesimae sextae secundus (86,2 = 335/34). Ut annum Eupteris archontis deliaci fuisse intercalarem statuerem, eam ob causam feci, quia magistratu eum nondum abiisse titulus idem testatur Posideone attico: quod nullo modo, si simplex fuisset in fastis deliacis eius annus, fieri potuisset.

Rei pecuniariae templi, qualis exstat in hoc titulo, rationem malo in alium locum diferre, ut aliis quoque rationibus collatis, melius dignosci possit. Quod quidem Boeckhius monuit exstare in titulo nostro signa quaedam totius administrationis deliacae nova ratione institutae, quum praedia aliquot et denuo locata legerentur et a magistratibus terminata, neque magnopere obloqui volo, neque plane assentiri possum. Nam quod fundi hoc anno quidam terminantur, cogitare potest, eos tunc primum deo consecratos esse, locationes vero quin e decennio in decennium redintegratae sint, nemini est dubium. Neque tamen totam pecuniarum rerumque sacrarum administrationem lege quadam severiore ipso hoc tempore denuo esse constitutam, prorsus negare audeo, quum cognitum sit nobis Athenis e populi decreto esse hoc factum eodem anno.[20]) Mihi quidem ipsi dubium non est, quin haec lex ob causam sit lata, quae res templi deliaci nullo modo attingeret: et fuit haec causa - templum Athenae Partheni tum ipsum exstructum atque opisthodomus ad pecunias sacras recipiendas paratus. Nam quod Doerpfeldius demonstrare conatus est pecunias sacras in antiquiore Minervae templo esse administratas, haec coniectura maxime videtur dubitationi obnoxia ob rationes in Petersenii luculentissima disputatione expositas aliasque quasdam meas.[21]) Sed quum et tempus mihi de his rebus disceptandi desit neque locus videatur opportunus, si quis animum inducat ob alias quasdam causas populum Atheniensem omnes pecunias sacras atque

---

[20]) C. I. A. I, 32: ad quem titulum cfr. Kirchhoffii viri illustrissimi disputationes duas, quae ad hanc rem spectant et ne minima quidem ex parte sunt infirmatae speciosis Belochii ratiocinationibus in Mus. Rhen. XLIII, p. 168 sqq.

[21]) Cfr. Mittheil. d. deutsch. arch. Inst. B. XII, p. 25 ff., 62 ff., 190 ff.

publicas nova lege ordinasse hoc tempore, verisimile esse non nego hoc idem in Apollinis Delii re familiari factum eodem tempore.

Paucis post annis inter ipsos belli Peloponnesiaci tumultus Atheniensibus visum est totam sollemnium deliacorum rationem mutare institutis ludis quinquennalibus, qui ab ipsis, non a Deliis celebrarentur. Qua de re exstat testimonium Thucydidis gravissimum atque unicum, qui haec fere memoriae prodidit:[22]) »eadem hieme (Ol. 88, 3 = 426/25) Delum lustrarunt Athenienses ex oraculi responso quodam; tota est lustrata tali ratione, ut sepulcra, quotquot essent mortuorum Deli, omnia deportarent atque in futurum praeciperent, ne quis in insula moreretur neque pareret, sed Rheneam transferretur; et πεντετηρίδα tum primum post lustrationem peractam instituerunt Athenienses — τὰ Δήλια . . . . . . et ludos (gymnicos et musicos) fecerunt et cursus equorum, qui antea non fuerant«.

Magna est inter viros doctos controversia, quo anni tempore sollemnia sint Apollini instituta, quum antea Thargelionem mensem dei sacrum fuisse praevaluerit opinio, nunc Robertus Hieron mensem proponat, Augustus Mommsenius vero praeferat Galaxionem. Ut missam nunc faciamus priorum sententiam, quippe quae nullo alio nitatur argumento, nisi testimonis Diogenis Laertii dicentis septimum Thargelionis diem Apollinis natalem esse a Deliis habitum,[23]) contendit vir doctissimus Robertus Hieron, qui dicitur mensis, fuisse Apollinis sacrum, ut e nomine ipso appareat, eoque sollemnia deo celebrata[24]) testari et Thucydidem, qui dicat statim post lustrationem hieme peractam festum quinquennale instituisse Athenienses, et Dionysium Periegetam, qui tradiderit insulanos quotannis sacros misisse choros Apollini »ἱσταμένου γλυκεροῦ νέον εἴαρος«[25]) gravissimumque esse huius rei documentum, quod hoc mense quotannis tota insula sit lustrata.[26]) Roberto assentitur ex parte Aug. Mommsenius, sed Hiero mensi vult praeferri Galaxionem (tertium mensem), atque causarum, quibus hanc sententiam

---

22) Thuc. III, 104. 23) Diogen. Laert. III, 2. 24) Die Festzeit der Delien: Herm. XXI, p. 161. 25) Dionys. Perieget. v. 527.

26) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 80: suo iure hic Homollius, obloquente Roberto, statuit Hecatae insulam esse lustratam, non Delum, quoniam »νῆσος« vox semper ad illam, non ad hanc designandam usurpetur.

copiosius confirmare studuit,[27]) summa haec fere est: in titulis, quibus choragi Apollineorum et Dionysiorum perscribi sint soliti,[28]) illa semper ante haec appellari; idcirco dubium non esse, quin eodem, quo Dionysia, mense scil. Galaxione, sed paululo ante Apollinea quoque sint celebrata; veri autem quum non sit simile duo eidem deo festa paucis tantum diebus interiectis fuisse instituta — Delia et Apollinea, ambo videri in unum coniungenda et Galaxioni mensi tribuenda ita, ut primus sollemnium dies fuerit »Delia«, alter »Apollinea« appellatus, atque hoc sibi persuasit usus titulo illo, quo Laodameia Medei f. laudatur »*κανηφορήσασα εἰς Δήλια καὶ Ἀπολλώνια*.[29]) Quae ratiocinatio tota vel eo refutatur, quod, Dionysia ut concedamus esse Galaxione mense acta atque titulos ordinem festorum secutos, terminum quidem habemus, ante quem Apollinea sint celebrata, quot autem mensibus ante, nullo modo ex his titulis ipsis perspici potest: nam quod dicit Aug. Mommsenius arctam in perscribendo sollemnium duorum coniunctionem (»unmittelbare Verbindung«) documento esse ea in celebrando etiam fuisse coniuncta — quonam quaeso modo lapidarius scripsisset, si vel undecim menses fuissent interiecti?

Sed contra Roberti (pace praeceptoris carissimi dixerim) et Augusti Mommseni sententiam tenendum puto minime esse diem epiphaniae dei secernendum a die eius natali, quia primo deus quotannis et nasci et mori ab hominibus credi, postea vero quam incredibile hos esse minimeque dei maiestati consentaneum ratione magis vigente sunt assecuti, *ἐπιφαίνεσθαι* dici solet et *ἀποδημεύεσθαι*, quod idem de Apolline Delio est traditum, quem per sex menses hibernos in Lycia Patarae oracula edere, per sex aestivos Deli habitare opinio erat:[30]) si igitur diem natalem tribus post mensibus celebratum esse statueremus, quam epiphania celebraretur, idem esset, ac si diceremus deum apparuisse, priusquam natus esset. Exemplum aliud habemus clarissimum — natalem Apollinis Pythii septimo Byzii die celebratum, quem non diversum ab epiphania dei fuisse diserte testatur Plutarchus,[31]) et miro quodam modo consentit, quod si non epiphaniae, at certe *ἀποδημίας* Apollinis tem-

---

[27]) Bursian's Jahresber. XLVIII, p. 315. [28]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 103sqq., IX, p. 146sqq. [29]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 379. [30]) Serv. ad Verg. Aen. IV, v. 143. [31]) Plutarch. Quaest. graec. cap. 9.

pus in eundem utroque loco cadit diem, quum Delphis abesse per tres tantum menses dicatur et tribus mensibus eo prius reverti quam Delum. Sed maioris etiam momenti quam haec ratiocinatio debent esse, quae Plutarchus, homo si quis alius rerum sacrarum inprimisque Apollinis peritissimus, tradidit[32]): sexto Munychionis die Theseum Athenis profectum primum Cretam venisse, postea iam occiso Minotauro Delum appulisse ibique sollemnia Apollini instituisse, Pyanopsione vero mense in patriam redisse, quod fieri nullo modo potuit, si Hiero mense, quo Athenis etiam commoraretur, festa Apollini essent celebrata: sit sane conficta tota haec de Theseo Deliorum conditore fabula, tali ratione ficta sit necesse est, ut cum Deliorum omnibus noto tempore non pugnaret. Accedit denique quod Amphictyones atticos cognitum est nobis e lapidis Sandwicensis parte altera munus inire solitos Scirophorione mense:[33]) cur hoc potissimum tempus sit electum, quod neque cum deliaci neque cum attici initio anni congrueret, optime explicatur, si statim post sollemnia peracta eorum collegium sequenti cessisse loco sumimus.

Dubitabam paulisper, essentne seiungenda sollemnia, quae quotannis a Deliis celebrabantur, a quinquennalibus illis ab Atheniensibus institutis; sed adversari mihi visus est *γέρανος* ille, quem et Theseus comitesque eius primum saltasse dicuntur ludis in speciem penteteridis atticae confictis et antiquitus iam Deliades in sollemnibus annuis Deli saltasse auctor est rhapsodus ille Chius. Et certe haec sacra saltatio, qua quin Latonae sint parturientis errores repraesentati, dubium non est, deterrere nos debet, ne audeamus sollemnia Apollinea cum annua tum quinquennalia secernere a die, qui natalis dei Delii a Deliis ipsis habebatur.

Alia vero oritur quaestio, sintne annua etiam sollemnia celebrata post institutos ludos quinquennales. Credunt viri docti plerique fuisse duo Deliorum genera, maiora et minora, usi Panathenaeorum exemplo, testimoniis vero non tam gravibus, ut contra Thucydidis auctoritatem quicquam valeant; disertis enim ille dicit verbis *τὴν πεντετηρίδα* esse appellatam non *Δήλια τὰ μεγάλα* neque simpliciter *Δήλια*, sed *τὰ Δήλια*, — unde simplicia, non duplicia fuisse apparet, nisi grammaticae graecae fuisse rudem arguas

32) Plutarch. vit. Thes. cap. 18.

33) C. I. A. II, 814^b, lin. 16.

scriptorem illustrissimum vel diasceuastae cuiusdam insulsissimi agnoscas manum. At adfert testem Gilbertius Pollucem,[34]) qui si verbis vel dubitationi non obnoxiis contra Thucydidis auctoritatem niteretur, nihili prorsus penderem; sed est argumentum e silentio eius petitum, quod inter ludos quinquennales Deliorum mentionem non fecerit: at quomodo hoc loco demonstretur fuisse quaedam parva Delia, non intellego, quum nihil inde colligere liceat, nisi aut nulla fuisse unquam Delia quinquennalia (quod ne Gilbertius quidem contendere ausus est), aut Pollucem vel non habuisse cognita vel consulto praetermisisse,[35]) praesertim quum nomina tantummodo sollemnium aliquot exempli gratia adferre vellet. Gravius esse videtur Xenophontis testimonium, qui propter Delia auctor est mortem Socratis esse in triginta dies dilatam;[36]) quum autem is sit primo anno Ol. 95 supplicio affectus, necesse esse dicunt fuisse haec Delia, ut ita dicam, minora. At ne maiora quidem, quae vulgo appellantur, fuisse illo tempore Delia testis est titulus nuper Deli repertus, e quo perspicitur rerum omnium sacrarum administrationem Deliis a Lacedaemoniis post bellum Peloponnesiacum finitum denuo redditam,[37]) quare non mirum, si pristinus mos sollemnia quotannis celebrandi ab illis restitutus esse videtur. Ac ne illud quidem Xenophontis verbis mihi effici videtur, esse revera hoc nomine a Deliis ipsis annua, quae Apollini faciebant, festa appellata, quum scriptoris neglegentia facile fieri potuerit, ut usitatissimum apud Athenienses nomen pro vero atque legitimo adhiberet. Nam hoc sollemne Deliorum nomine esse appellatum ab ipsis Deliis multo minus est verisimile (sunt enim omnia, quae Deli aguntur festa — *Δήλια*), quam ab Atheniensibus aliisque, quippe quorum maxime interesset distingui Apollinea Delia a Pythiis. Audaciora haec esse scio, sed documento mihi sunt praeter Thucydidem diserte dicentem esse Deliorum nomen *πεντετηρίδι* primum inditum, tituli duodecim choragici nuper Deli reperti, quorum in nullo Deliorum fiat ne minima quidem mentio, quum Apollinea quaedam quotannis, ut videtur, sacris choris celebrata commemorentur;

---

[34]) Deliaca, p. 28: Poll. Onom. I, 37. [35]) Erant ei nota, ut ex alio loco apparet, ubi in festis pentetericis diserte appellantur: Poll. VIII, 107. [36]) Xenoph. Memorab. IV, 8, 2; cfr. Plat. Phaed. p. 58c. [37]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 12.

atque fuisse Apollinea haec sanctissima Deliorum festa liberae tempore reipublicae cum inde apparet, quod in festis perscribendis semper primum obtinent locum (contra Aug. Mommseni sententiam hoc assevero, qui ordinem e temporum serie desumptum credit), tum tituli honorarii testantur, quibus edicitur, ut coronae viris bene meritis decretae hoc potissimum festo renuntientur,[38]) *ὅταν οἱ ἱεροὶ παίδων χοροὶ ἀγωνίζωνται*; neque prius Delia in titulis deliacis denuo commemorata invenimus, quam insula denuo est in Atheniensium potestatem redacta, ac tum quidem ut dignitate praecellentia Apollineis antecedunt.[39]) Atque illis quoque, de quibus nunc agitur, temporibus Apollinea, ut hoc nomine ea appellem, ut non magno apparatu celebrata prope in oblivionem hominum venisse documento est lapis Sandwicensis, ubi dicuntur pecuniae quaedam expensae *εἰς προθύματα τῆς ἑορτῆς*, Deliorum scilicet: haec est sola atque vera *ἑορτή*, quae nullo alio nomine addito ex articulo ipso adiecto agnoscitur — *ἡ κατ' ἐξοχὴν ἑορτή*.

Non equidem dubito, quin fuerint quotannis sacra quaedam a Deliis facta Apollini die eius natali, sed fuerunt privata, ut ita dicam, et propria civitatis Deliacae, externo populo nullo participe, redacta in numerum menstruorum sacrificiorum, quibus etiam in pecuniarum expensarum rationibus ea contineri est credendum, quum nullo alio exstent loco perscripta; neque est mirum, quum Athenienses festum quinquennale ludis variis additis multo maiore agerent apparatu, quam unquam essent sollemnia illa annua celebrata, ad haec pristino more facienda defuisse pecuniam. Atque hoc ipsum toti rationi, quam sibi Athenienses proposuerant, erat consentaneum, ut cum sacra a Deliis administrata imminuerent, tum

---

[38]) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 351.

[39]) Laodameia Medei f. laudatur, ut iam supra commemoravi, *κανηφορήσασα εἰς Δήλια καὶ Ἀπολλώνια* (Bull. d. Corr. Hell. III, 379), unde visa sunt Aug. Mommsenio tempore quoque Delia praecedere Apollinea: quod non magis hoc ordine in perscribendo adhibito demonstratur, quam ex illo, quo usus est athleta Theagenes Thasius vel potius, ut docuit Foucart (Bull. de Corr. Hell. XI, p. 289), Dorieus Rhodius in coronis a se deportatis Olympiis, Pythiis, Nemeis, Isthmiis describendis efficitur, ut primum tres victoriae Olympicae, deinde tres Pythicae ei contigerint ac reliquae eadem ratione.

festa, quibus ipsi praesiderent, et dignitate et hominum frequentia augerent.

Quoquo modo de hac cum Deliis agendi ratione iudices, hoc est tenendum Athenienses neque primos fuisse neque ultimos, qui ita in legitimos delubri clarissimi dominos consulerent: praeierunt Elei, quum sibi vindicassent ludorum Olympiorum *προστασίαν*, iure repugnantibus Pisatis, quos ob iustam templi erepti iram in servitutem etiam redegerunt; secutus est Atheniensium exemplum cum Iason Pheraeus assumpta Pythiorum curatione, tum maiore auctoritate Philippus Macedo, cui Amphictyoniae delphicae principatus gradus factus est, per quem ad summum totius Graeciae imperium sibi comparandum ascenderet.

Verum hoc ab Atheniensibus institutum festum deliacum quinquennale nunquam ad eam, qua florebant, ne dicam quattuor illae *πανηγύρεις* omnium Graecorum, Panathenaea Dionysiaque attica, celebritatem atque frequentiam pervenisse luculenter apparet ex omnium fere scriptorum silentio: cuius rei causa praecipua nescio an fuerint res adversae, quibus bello Peloponnesiaco tota Graecia ita est obruta, ut nunquam inde emergere atque pristinum statum recuperare posset.

Unus tantummodo exstat Plutarchi locus, ubi sollemnis huius, nomine ceterum non addito, mentio fiat. Dicit enim, quum antea sacri chori ad festum deliacum profecti nullo ordine magnoque tumultu ad insulam appellere soliti essent, Niciam architheorum factum chorum suum Rheneae in terram exposuisse, deinde omni apparatu instructum atque ornatum iuncto ponte Delum ita traduxisse, ut nihil ordinem turbaret; idem vir ditissimus eximiaeque in deos pietatis magnis donis ibidem narratur locupletasse Apollinis templum, cum palma ex aere facta, quae postea vento eversa in Naxiorum statuam illam Apollinis magnam incidit, tum fundo quodam decem milium drachmarum, cuius fructus ad epulas diebus festis Deliis apparandas impendebatur.[40]) Hanc Niciae theoriam plerique Boeckhium secuti ad Ol. 30, 3 (= 418) rettulerunt,[41]) quoniam e Plutarchi verbis appareret alias iam theorias ab aliis architheoris ductas aliquotiens in insulam venisse (bis certe, Ol. 88, 3 et Ol. 89, 3), quae vero

[40]) Plutarch. vit. Nic. cap. 3.

[41]) Boeckh. Staatshaush. d. Athener II³ p. 85.

Ol. 91, 3 acta essent Delia, eis Nicias interesse non potuisset, classi tum Atheniensium Syracusas obsidenti praefectus. Sed quae Plutarchus de choris ante Niciae theoriam nullo ordine appellentibus memoriae tradidit, praesertim quum e tota narratione appareat ne tenuissimam quidem festorum quinquennalium eum notionem habuisse, nihil impedit, quominus ad eos referantur, quos ad sacra Apollinea annua ante πεντετηρίδα institutam missos esse testis est Thucydides;[42]) verisimilius enim mihi videtur Athenienses et insulae lustrandae virum pietate insignem et ludis quinquennalibus, primum quum fierent, maximo apparatu celebrandis praeposuisse ditissimum atque in republica gerenda rei familiaris minime parcum — Niciam Nicerati f.; quod si verum est, melius etiam intellegi potest, cur fundum illum magnum non deo dicarit sacrum, sed ad Deliorum ἑστιάσεις assignarit: videlicet, ut placaret, his aliisque emolumentorum illecebris propositis, iram hominum »sacrorum«.

Nihilominus hoc odium non ita multo post erupisse suspicari licet, quod Atheniensibus utilius est visum ante secunda Delia celebrata totum Deliorum populum insula expellere, impuritatem iis exprobrantes, ut ait Thucydides,[43]) Diodoro autem si malis credere, Lacedaemoniorum quod faverent partibus, criminantes.[44]) Thucydides quae affert, certe nihil sunt nisi rei iniustae mala excusatio; sed non plus est fidei habendum Diodori verbis: an credibile est Athenienses maris totius dominos timuisse insulae parvulae incolas, ne cum Lacedaemoniis societatem inirent? Verisimilius videtur Deliorum ob templi administrationem ereptam odium eodem fere modo esse significatum, quo multos post annos legimus in titulo Sandwicensi, ut contumeliis afficerent Atheniensium magistratus et turbarent res sacras fanique violarent sanctitatem. Dixi supra ante Delia Ol. 89, 3 (= 421) celebrata esse pulsos Delios: accuratius etiam tempus defineri potest, quum ἐκεχειρία, per quam accidisse hoc a Thucydide traditur corruptis sane verbis, necesse sit significet sacras illas indutias ob Pythiorum sollemnia factas, quae Bucatio mense Delphico vel Metageitnione attico celebrata esse e titulis notum est — ipso igitur initio anni sunt expulsi. Atque exules, a Pharnace Phrygiae Hellesponticae satrapa sunt recepti, qui iis Adra-

---

[42]) Thucydid. III, 104. [43]) Thucydid. V, 1.

[44]) Diodor. XII, cap. 73.

myttium incolendum dedit; sed ne ibi quidem malorum expertes fuerunt; nam Arsaces Lydiae satrapa, Tissaphernis illius hyparchus, evocatos per speciem expeditionis cuiusdam eorum primores omnes per insidias trucidavit.[45]) Tali modo debilitatos et numero imminutos Athenienses, ab oraculo delphico moniti, non dubitarunt in patriam reducere, quod factum esse aestate Ol. 89, 4 (= 421), anno post quam sint expulsi, testatur Thucydides,[46]) obloquente quidem Diodoro, qui Astyphilo archonte Ol. 90, 1 (= 220) dicit reduces factos Delios;[47]) sed quae in rebus chronologicis Diodori auctoritas!

Post has res gestas per longum temporis intervallum nulla fit a scriptoribus rerum deliacarum mentio. Quae lacuna aliquo modo nunc suppletur titulo ad pecuniarum sacrarum administrationem spectante, mutilo sane, sed maximi momenti:[48]) hic primum appellari videmus Atheniensium magistratus Amphictyonum nomine praeditos — quattuor sunt numero iique annui — atque commemoratur etiam collegium quoddam deliacum — *οἱ νεωκόροι* — templi curae praepositum. Haec enim nulli dubitationi obnoxia exstant: *Θεοί. Τάδε ἔπραξαν Ἀθηναίων Ἀμ|φικτύονες οἵδε·* | (nomen unum evanidum) | *Ἀφσεφίων Ἀφιθύλλου* | *Δημόκριτος Φανίου* | *Ὀλυμπιόδωρος Τελεσίου* | *ἐπὶ Γλαυκίππου Ἀθήνησι ἄρ|χοντος ἐν Δήλῳ ἐπὶ Ἀπημά|ντου ἄρχοντος· ἀργύριον πα|ρελάβομεν παρ' Ἀμφικτυόν|ων Θεαγγέλου Φηγαέως καὶ σ|υναρχόντων καὶ νεωκόρων* | *Δηλίων Σκύλακος καὶ συνα|ρχόντων ἐν τῷ ἱερῷ καὶ τ|ῷ Ἀρτεμισίῳ κεφάλαιον* etc.

Totum tituli initium perscribendum putavi, quoniam exstiterunt, qui ipsis his verbis usi negarent fuisse Amphictyonas magistratum annuum. Attingerus[49]) enim contendit, si revera non plus uno anno munere essent functi, scribendum fuisse: *Τάδε ἔπραξαν Ἀμφικτύονες Ἀθηναίων οἱ ἐπὶ Γλαυκίππου . . . . . . ἄρχοντος οἵδε·* (nomina); nunc vero quum scripta sint, ut sunt, verba *ἐπὶ Γλαυκίππου ἄρχοντος* quaeque sequuntur, non ad *ἔπραξαν*, verum ad *παρελάβομεν* vocem esse referenda, ut tempus tantum designatum sit, quo magistratum iniissent. Ne inusitatam igitur formulam adhibeamus, nobis persuadere vult collegium administrationis suae perscripsisse

---

45) Thucydid. VIII, 108.
46) Thucydid. V, 32.
47) Diodor. XII, c. 77.
48) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 283.
49) Beiträge z. Gesch. v. Delos, p. 37.

rationes tempore non definito, per quod munere esset functum. At quibus utitur exemplis ad demonstrandum inusitatam fuisse, quae praecedit, formulam? Illis scilicet, quae e titulis quarto saeculo conscriptis vel desumpsit vel potius ipse confinxit ad saeculi quinti titulum corrigendum. Huic nihil respondere possum, nisi suadere, ut populi Atheniensis decretorum formulas accuratius perlegat, iam intelleget non semper easdem mansisse atque immutatas per totum hoc tempus! Quod vero *ἐπὶ Γλαυκίππου ἄρχοντος* adiungens *παρελάβομεν* voci, tempus contendit fuisse definiendum, quo sacras pecunias Amphictyones accepissent, hoc sane ineptissimum est: quasi dubium esse possit, quin statim inito magistratu hoc fecerint Amphictyones, non post annum suum exactum. Sed hoc ipsum denegat Attingerus, eos per anni tantum spatium esse munere functos, quum totam suam magistratus huius notionem confinxerit e tituli Sandwicensis primis verbis neque hunc animadverterit ad extraordinarium quendam rerum statum pertinere, ut ex aliis ab Homollio repertis apparet.

Mihi certe constat quattuor Amphictyonas, quorum nomina praeter unum, idque praesidis evanidum sunt titulo praemissa, fuisse magistratus annuos archonte Glaucippo Ol. 92, 3 (= 410/9). Atque hunc ipsum numerum eorum et tempus, per quod munere fungerentur, mansisse idem inde ab illo, quo eorum collegium erat institutum, tempore usque ad Atheniensium imperium maritimum a Lacedaemoniis eversum, hinc mihi persuadeo ac verisimillimum, ut in rebus dubiis, puto: utar Hellenotamiarum atque Minervae quaestorum exemplo, quos per anni tantum spatium munere functos esse satis constat, quanquam penteteris illa *ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια* certe non minus Athenis quam Deli in usu fuit, ubi per longam iam annorum seriem religione ipsa quodammodo erat sancta.

De eis qui hic appellantur Amphictyonibus nobis nihil amplius est notum: Apsephion quidem fortasse est nepos eiusdem nominis archontis, qui munus obiit eo, quo Sophocles Aeschylum tragoediis vicit, anno Ol. 77, 4 (= 369/68); sed hoc non satis certum.

Maximi est momenti, quod e titulo hoc discimus Atheniensium quaestores non per se ipsos administrasse templi Apollinis pecunias, verum adhibitis Deliorum magistratibus, qui *νεωκόροι* appellabantur. *Νεωκόρος* vocis propria vis est ea, ut aedituum signi-

ficet »templum verrentem«; sed magistratibus quoque interdum indebatur maiore honore ornatis, ut antistites latino sermone appellari possent; atque hanc esse hic quoque verbi sententiam credo, quum non sit verisimile aedituos quosdam ab Amphictyonibus esse adhibitos in muneris obeundi societatem; et exstabat Deli aedificium appellatum *νεωκόριον*[50]), quo ex nomine patet convenire solitos esse ad res deliberandas atque fortasse etiam ad cenas publice propositas hos magistratus, quibus sine dubio non aedificassent domum propriam Delii, nisi alicuius fuissent auctoritatis in rebus gerendis. Numerus eorum quantus fuerit, non cognoscitur, sed certe tribus non minor erat, quoniam appellantur *ὁ δεῖνα καὶ συνάρχοντες*. Neque hi neocori sunt comparandi cum illis, quos scimus posteriore tempore in solo Apollinis fano tres fuisse, quum sint nostri magistratus sine dubio a civitate creati (*ἀρχή* et annua quidem, ut coniicere licet), illi vero fuerint ministri, mercede conducti non ita magna (sexcenarum drachmarum).

Ex eodem titulo apparet asservatas esse pecunias sacras illo tempore duobus in templis, in illo, quod *κατ' ἐξοχὴν* hoc nomine appellatur, Apollinis, et in Dianae fano. Rationes ipsae satis explicatae, ut e viginti linearum, quibus erant perscriptae, numero colligi potest. magna ex parte perierunt, ut pauca tantummodo restituere liceat. Certissima est pecuniarum, quas inito magistratu in aerario invenerunt Amphictyones, summa: viginti talenta et drachmarum duo milia octingentae quinquaginta fere, quum non amplius quadraginta novem drachmae intercidere potuerint; sequuntur deinde fructus e fundis (*μισθώσεις τεμενῶν ἐκ τῆς Ῥηνείας* dispicitur adhuc) et pecuniis collocatis percepti, quorum quanta fuerit summa, non exstat in nostro titulo. Nam quae in linea 27ᵃ leguntur: *κεφάλαιον* ΔΔΤ — — — —, non ad eas, quas per annum suum acceperunt, pecunias (plus esset, quam ut credi posset) refero, sed ad omnium, quas in manibus habuerunt, summam, et a priore traditarum collegio, et coactarum ab ipsis: quarum summa (*ξύμπαν κεφάλαιον*) fuit certe maior uno et viginti talentis, minor autem viginti et quinque. Perscriptas deinde fuisse pecunias ab ipsis expensas (vel mutuas

50) C. I. A. II, 827, l. 9. Extempore reipublicae liberae appellatur in Demaris archontis inventario lin. 177: Bull. de Corr. Hell. VI, p. 48.

datas) e paucis, quae remanserunt in linea 28 [a], litteris satis certa assecutus est coniectura Homollius, collata aliorum titulorum dispositione: *ἀπὸ τού[του ἀνηλώθη τάδε]*. In eo viro docto assentiri non possum, quod in ultimis (46 — 47) lineis restituendis scripsit: [*περίεστι·* Δ?] ΤΤ𐅇𐅅ΗΔΔΔ𐅃⊢ΙΙΙ (= 2 tal. 5636 dr. 3 obol.) . . . . . . *κεφάλαι]ον καινόν·* Τ𐅇𐅅Δ, — non satis enim liquet, quid sibi velit *κεφάλαιον καινόν*, quum iam perscriptae sint pecuniae in aerario restantes. Verisimilius mihi videtur esse hanc pecuniarum, quae reliquae fuerint, summam, illam autem priorem — earum, quae vel expensae vel mutuae datae sint; neque mirari possumus, quod 11 540 dr. tantum in aerario reliquerunt administratores, si rationes conferimus perscriptas in lapide Sandwicensi, ubi Hippodamante archonte 9979 tantum drachmas, Socratide non multo amplius superfuisse legitur,[51]) vel eas, quas magistratus reddiderunt Cratete archonte, ubi non plus 1390 dr. reliquas fuisse narratur.[52]) Quae si recte se habent, rationum huius anni summa ad drachmam fere restitui potest. Quum enim necesse sit, pecunias expensas iis additas, quae anno finito in aerario remanserunt, totam conficere summam, quae in manibus omnino Amphictyonum fuerit, atque haec neque minor viginti et uno neque maior viginti et quinque talentis esse debeat, certum est in linea 46 [a] intercidisse aut septendecim aut viginti talentum numerum: si vel minorem vel maiorem sumas, summa non quadrat; decem et octo vero aut decem et novem talentum signa ante ΤΤ suppleri non possunt. Statuo igitur totam fuisse summam 24 tal. 5146 dr. 3 obol., inde expensa esse 22 tal. 5636 dr. 3 obol., superfuisse talentum unum et 5510 dr.[53]) Deinde quum cognitum habeamus Amphictyonibus nostris a collegio magistratu abeunte 20 tal. et 2850—2900 dr. tradita esse, necesse est ad eos suo anno neque minus 4 tal. 2246 dr. neque plus 4 tal. 2296 dr. rediisse. Omnes, quas computavi, rationes hunc fere in modum tabula illustrari possunt:

---

[51]) C. I. A. II, 814 [b], lin. 15 et 33. [52]) C. I A. I, 283, lin. 9 et 12.

[53]) Supplevi igitur in lin. 46 [a] viginti talentum signa: nam si septendecim tantum sumerem intercidisse, reditus annui ad 8200 dr. fere imminuerentur: quam summam esse minorem, quam ut veram esse credere liceat, vel inde patet, quod pro fundis solis locatis tantundem fere pensum est, usuris non numeratis.

Accepta a superiore collegio		122850—122900 dr.
Reditus, qui fuerunt anno Glaucippi arch.		26296 – 26246 dr.
	Summa	149146 dr. 3 obol.
Expensa ab Amphictyonibus		137636 dr. 3 obol.
	Summa novissima	11510 dr.

Confirmatur haec mea computatio, singula unde fluxerint, si persequimur. Primum pensas scimus mercedes praediorum dei Deli et Rheneae locatorum, quarum summae quum in titulo nostro interciderint, eas, quae in rationibus Cratete archonte perscripta extant, adhibeo, non ignorans quidem spatio viginti quattuor annorum, quod inter duas rationes litteris mandatas intercessit, fieri potuisse, ut vel imminuerentur vel augerentur, sed ea cogitatione ductus non magni interesse, si aliquot centenis drachmis erremus. Atque ex illo, quem modo dixi, titulo cognitum habemus fuisse omnes templi fundos in decem annos collocatos (quem certe terminum ut constantem adhibere possumus) et illos quidem, qui Deli siti erant, simul cum domibus ea condicione, ut anno primo pro iis penderentur 716, postea vero quotannis paullo amplius 900 dr., eos autem, quos Rheneae deus possidebat, maiore mercede 7110 drachmarum; quae mercedes quotannis pendendae, si primi illius anni extra ordinem videlicet positi rationem non habemus, summam 8100 dr. non maiorem, fortasse paullo minorem efficiunt. Quam summam si de pecuniis, quas Glaucippo archonte accepisse se profitentur Amphictyones, deducimus, reliqua sunt tria talenta et drachmae circa 200, quae constat magna ex parte, si non omnia, esse confecta pecuniis a debitoribus dei redditis usurisque pensis. Ne credas tria haec talenta esse pauciora omnemque propterea tabulam supra restitutam reiicias, conferas quae in lapide Sandwicensi perscripta sunt: ibi si de tota acceptarum pecuniarum summa mercedes deducas, quae pro fundis conductis sunt pensae, reliqua sunt 6 tal. 643 dr. fere; quae quum sint trium annorum fructus, necesse est eas in tres partes dividere, atque efficiuntur 2 tal. 215 dr. uno anno ex pecuniis dei collocatis et quibusdam minoribus accepta. Quam ob rem tabulae illi supra perscriptae tantam tribuo auctoritatem, quantam omnino in huiusmodi computatione assequi licet.

Maioris certe esset momenti, si quanta fuisset pecuniarum

sacrarum summa omnium, e rationibus his perspicere liceret; sed neque 55410 dr. summa, Cratete archonte perscripta, neque 149146 dr., quae rediit maxima Glaucippo archonte, quanta totius pecuniae pars fuerit, satis constat et inutile credo in re tam dubia vel unum verbum perdere.

Ne illud quidem magis nobis est cognitum, quanta vel qualis fuerit hoc tempore templi sacra supellex, quot sint dedicata *ἀναθήματα* in quibusve asservata delubris, quum inventarium nullum ex hac aetate ad nos pervenerit, qualia fere innumerabilia liberae reipublicae deliacae tempore et, quamvis pauca, quarto etiam saeculo exstant perscripta. In his certe insunt multa, *φιάλαι* et *ποτήρια* inprimis, quae sine dubio iam belli peloponnesiaci tempore vel etiam antea sunt dicata, sed neque donatoris nomine neque anno dedicationis adscripto dignosci nullo modo possunt praeter pauca quaedam, sed ea maximi pretii. Primum inter haec locum obtinent dona quaedam, ab hominibus privatis temporis huius nobilissimis dicata: sunt centum et octo *στλεγγίδες ἐπίτηκτοι* (vittarum id esse genus quoddam statuit Boeckhius[54]) et corona aurea Niciae Nicerati f. Atheniensis; centum et decem octo *στλεγγίδες* Calliae Hipponici f. Atheniensis; corona aurea frontali ornata Autoclis Tolmaei f. Atheniensis; quibus adiungo dubitanter quidem *φιάλην* argenteam, quam dicaverat Euthydicus Dioclis f. Atheniensis.[55]) Atque Niciae et Calliae, quos divitiarum magnitudine praeter ceteros aequales floruisse constat, quod nomina patrum sine ulla dubitatione adscripsi,[56]) non vereor, ne quis mihi obloquatur; minus certa res est de Autocle, quem eundem esse statui aliis praeeuntibus atque praetorem illum bis a Thucydide appellatum[57]) atque e titulis quoque atticis notum.[58]) Niciam quum constet theoriae deliacae praefuisse atque occasione hac usum templum donis suis ornasse, non errare mihi videor, si idem de duobus reliquis sumo. Et quum Niciam primae praefuisse theoriae conatus sim supra demonstrare, Autoclem ad secundam refero penteterida: tertiae

---

54) Staatshaush. d. Athen. II³, p. 289. 55) Cfr. nunc rationes, ab amphictyonibus Timocrate archonte perscriptas, lin. 113—119: Bull. de Corr. Hell. X, p. 465. 56) Calliae ceterum semel est patris Hipponici nomen additum: C. I. A. II, 824, lin. 9—10. 57) Thucydid. IV, 53, 1; 119, 2. 58) C. I. A. I, 180—183, lin. 16.

enim tempore erat impeditus, quum praetoris munere fungeretur,[59]) postea vero brevi mortuum eum esse si non certum, at quam maxime verisimile est, quoniam inter tot praetores nunquam amplius a Thucydide commemoratur neque a Xenophonte. Sequitur deinde Callias, quem tertiae puto architheorum legationis sacrae fuisse ad festa quinquennalia missae, quum et rei familiaris tum in possessione fuerit patre Hipponico ad Delium interfecto, et iam innotuisse ob sumptus factos hoc ipso tempore testetur Aristophanes: postea vero rebus Atheniensium magnopere adflictis clade siciliensi vix est verisimile quemquam fuisse tam insanum atque mente captum, ut tantas pecunias ad res nugatorias — vittas quasdam in templo alieno dicandas — impendere mallet quam reipublicae commodis inservire, et certe post finem belli peloponnesiaci adeo erat iam imminuta Calliae res familiaris, ut eiusmodi sumptibus sufficere non posset. Tribus his adiungo, quanquam dubitanter, etiam Euthydicum Dioclis f., quia et donum eius — φιάλη argentea — in Amphictyonum rationibus semper una cum iis affertur, quae a Nicia illisque, quos modo nominavi, sunt dicata, et fuit hoc tempore Diocles quidam orator, qui populiscitum in honorem Phrynichi interfectorum rogavit Glaucippo archonte,[60]) fortasse idem atque insequentis anni archon. Dignae deinde sunt, quae hic laudentur, coronae illae aureae, quarum singulas constat singulis festis quinquennalibus esse consecratas ἀριστεῖον τοῦ θεοῦ, ut dicitur:[61]) non enim dubitare licet, quin iam inde a primis ludis celebratis hoc institutum sit, quum aliter coronarum numerus non conveniat. Et quattuor certe ante Glaucippi annum, quinta illo ipso archonte est dicata, sextam Calliae archontis anno tribuo: quarum omnium non idem scimus fuisse pretium, quum prima

---

59) Cfr. notam antecedentem. 60) C. I. A. I, 59, lin. 14.

61) Certe nobis non est traditum a scriptoribus hoc moris fuisse, ut Athenienses ad Delia celebranda singulas coronas dicarent aureas, quas hic et alias pentetericarum nomine appello aliorum exemplum secutus; tamen dubium non potest esse, quin ita fieri solitum sit, modo conferas inventaria aliquot ab Amphictyonibus atticis quarto saeculo perscripta: Timocrate archonte (Ol. 104, 1) exstant iam coronae duodecim (Bull. d. Corr. Hell. X, p. 465, lin. 107); tertia Olympiade post consecrata est Callistrato archonte (Ol. 106, 2) quintadecima, cui disertis etiam verbis additur: »δ ἐκ τῆς πεντητερίδος« (C. I. A. II, 928, lin. 5: de anno

penderet 100 dr., secunda — $112^2/_3$, tertia — $68^5/_6$, quarta — $68^1/_2$, quinta — $118^1/_2$, sexta tantum 63 dr.[62]) Quae pondera accurate perscripsi, quoniam existimo tantam eorum varietatem fortuitam non esse iisque illustrari quodammodo rerum statum in Atheniensium civitate: prima, ut semper fit, iustum pondus atque sine dubio populi decreto sanctum habuit; secunda ob pacis, credo, quae a Nicia nomen duxit, gaudium, ut deo populi gratia referretur, facta est grandior; tertia iam multo est minor, cuius rei causa non patet, sed licet cogitare de bello in Peloponneso gesto atque de pugna ad Mantineam facta; quarta eiusdem fere fuit ponderis, neque mirum, quum iam immineret clades totius belli maxima in Sicilia accepta atque ipsa Attica a praesidio Lacedaemoniorum Deceleae collocato infestaretur; quinta Glaucippo archonte dicata maximi pretii inter omnes et antea et postea consecratas, quasi indicium videtur reipublicae post magnas Alcibiadis victorias navales nova spe prosperitatis et dominationis elatae; sextae denique, quae contra est omnium levissima, exiguitas temporum arguit iniquitatem, cum sit deo oblata paucis mensibus ante pugnam apud Aegospotamos commissam.

---

dedicationis, qui cum Deliorum tempore non videtur convenire, infra verba faciam, nunc Olympiadis numerum tantum nosse interest; octava decima corona commemoratur in traditionis laterculo Sosigene archonte (Ol. 109, 3) perscripto (Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 299 sqq.); vicesimam iam numerant Amphictyones, qui res sacras se accepisse profitentur a collegio illo, quod Euaeneto archonte (Ol. 111, 2) munus obiit (C. I. A. II, 824, lin. 2—3); confirmatur usus quodammodo nomine *ἀριστεῖον τοῦ θεοῦ* coronae huic indito, quo constat etiam illam appellatam esse, quae item quinto quoque anno Athenae *Πολιάδι* offerebatur Magnis Panathenaeis (C. I. A. II, 652, A. lin. 28—29 et B. lin. 15—16; ibid. 667, lin. 26—27), ut facile animum inducas nomen hoc cum usu ipso ab Atheniensibus e patria Delum translatum.

62) Timocrat. arch. inventar. l. 107—110: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 465.

III.

Atheniensium imperio, cum iam diu labasset, a Lysandro funditus everso, constat socios omnes ab illis defecisse praeter Samios, qui extrema perpeti maluerunt quam adflictis rebus eos deserere, quibuscum florentibus stetissent, atque ob hanc, quam praestiterant, fidem eximiam patria expulsi summis sunt affecti honoribus et commodis ab Atheniensium civitate, simulatque sui iuris rursus esse coepit, Euclide archonte.[1]) Neque dubium est, quin Delii quoque non civitatem solum in libertatem vindicare, sed etiam pecuniae sacrae administrationem recuperare hoc tempore conati sint, et Plutarchus auctor est[2]) eos a Pausania Cleombroti filio (vel potius Plistoanactis, qui ab anno 445 ad annum 426 et deinde ab anno 408 ad annum 394 Spartae regnavit)[3]) petivisse, ut Atheniensium dominatione patria liberaretur, illum autem irridentem rogasse, quomodo patriam appellarent, ubi neque nasci neque mori eis liceret. Qua Plutarchi narratione demonstrari videbatur Delios etiam post Athenienses a Lacedaemoniis devictos in eorum dicione remausisse atque est creditum ab omnibus viris doctis, donec e titulo Deli nuper reperto contrarium prorsus ab Homollio est probatum.[4]) Scripta sunt in lapide et supra et infra fracto: *καὶ θιῶν καὶ ναϝῶν καὶ χρεμάτον τῶν τῶ θιῶ* — haec et litteratura et dialecto laconica, ionicis deinde litteris regum Agidis et Pausaniae nomina ephororumque quinque, Thyionidae, Aristogenidae, Archistae, Sologae, Phedilae, in infimo denique margine lapidis: *ἐν Δήλῳ [ἦρχε]ν Α — — — —*. Fuerunt igitur decreti eiusdem in uno lapide duo exemplaria, laconicum unum, alterum ionicum, exarata ad similitudinem monumenti Sigeei, quorum prioris extremam partem, alterius initium servata habemus. Atque certissima ratiocinatione Homollius e nomine archontis (vel alius cuiusdam magistratus) deliaci, quod in documenti capite scriptum erat,

---

[1]) C. I. A. II, 1 b. [2]) Plutarch. Apophth. Lacon. 15.

[3]) Cf. d'Orville, Miscellan. Observatt. VII, p. 22. [4]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 12 sqq.

collegit non propositum modo fuisse decretum Deli — ut satis multa in sacra insula inventa sunt exterarum gentium decreta —, sed etiam ad ipsas Deliorum res spectasse aliquo modo constituendas ex communi eorum cum Lacedaemoniis consensu; atque cum et templorum et sacrae pecuniae τοῦ θεοῦ mentio sub tituli exitum fiat, iure suo statuit idem vir doctissimus fuisse a Lacedaemoniorum populo sanctum, ut res omnes sacrae pristinis possessoribus redderentur. Quod enim aliud Lacedaemoniorum de templo deliaco decretum Deliis dignum videri potuit, quod lapidi incidendum curarent? Reliquum est, ut quo tempore illud sanctum sit, paucis exponam, cum non recte de hac re novissimus tituli interpres Dittenbergerus disputasse videatur. Statuit enim, et recte quidem, Homollium secutus, intra annos 408—398, quibus una Pausanias et Agis Spartae regnaverunt, decretum esse factum, sed errat, cum dicit[5] »usque ad annum 403 a. Chr. n. ephororum singulorum cuiusque anni nomina exstare apud Xenophontem;[6] inter quos cum nemo ex his quinque (qui in nostro nominantur titulo) sit, restare annos 402—398, ex eisque annum 402 reliquis praeferendum esse«. Lapsu quodam memoriae factum credo, ut vir doctissimus Nauclidem ephorum, quem Pausaniae regi contra Thrasybulum ad Piraeeum rem gerenti consiliarium additum esse Xenophon[7]) auctor est, collegio illi adnumeraret, quod auctumno anni 403 magistratum iniit, cum esset collega Endii, quem 404—3 constat collegii principem fuisse. Cum enim Thrasybulus die Boedromionis mensis duodecimo[8] anni 403 urbem cum suis intrasset post diuturnas de pace facienda actiones, quibus plus quam duo menses consumptos credo, et Pausanias rex non paucos dies Piraeeum obsedisset, profectus est ille Sparta certe eo, qui Endii nomine ephori notatur, anno, idemque assequimur, si reputamus post ipsam victoriam a popularibus ad Munychiam partam octavo, postquam triginta Athenis constituti erant tyranni, mense Lysandrum ab oligarchiae fautoribus arcessitum confestim auxilio venisse neque diutius commoratum Pausaniam regem, ut hominis sibi inimicissimi consilia irrita redderet, tanta celeritate iter fecisse, ut illum non

[5]) Dittenberger, Syll. Inscr. Graec. I, 50, not. 2.
[6]) Xen. Hellen. II, 3, 10; 4, 36. [7]) Xen. Hell. II, 4, 36.
[8]) Plutarch. de glor. Atheniens. 7.

ultra Eleusinem progressum consequeretur. Confirmatur vero haec sententia, si cogitamus fieri non potuisse, ut post Euclidis annum peractum quidquam Lacedaemonii Atheniensibus demerent. Atque hoc ipso tempore, de quo modo verba feci, cum per quindecim legatos Spartanos de pace inter duas Atheniensium partes Lacedaemoniosque facienda conveniret, statutum esse crediderim, ut templum Apollinis Deliis redderetur: inter pacis enim post Athenas a Lysandro captas factae condiciones hanc non esse receptam vel inde patet, quod demum anno amplius post templum Deliis traditum est, ut e titulo nostro perspicitur. Equidem non dubito, quin statim post pugnam ad Aegospotamos factam Atheniensium amphictyones a Deliis templo et insula pulsi sint; sed magni eorum intererat, hunc statum rerum templique libertatem etiam lege sanciri Lacedaemoniorumque auctoritate prohiberi, ne postea melioribus reipublicae temporibus Athenienses denuo conarentur pecuniarum sacrarum administrationem vindicare. Cur autem hoc demum tempore a Lacedaemoniis petierint, ut de templo reddendo sibi caveretur inter pacis condiciones, nescimus, sed facile est ad coniciendum eo tempore, quo Lysander Athenas obsidebat, ut multos alios eos speravisse Athenienses a Lacedaemoniis ad internecionem redactum iri.

Quoquo modo haec se habent, illud tenendum puto templa Deliis reddita esse eodem pacto, quo Eleusinem etiam ab Athenis seiunxerunt Lacedaemonii. Neque quicquam obstat, quominus Plutarcho etiam fidem habeamus Pausaniam regem, utpote quem Atheniensibus quam maxime studuisse tota Xenophontis narratione demonstretur, Deliorum legatos dimisisse ludibrio affectos: potest enim factum esse, ut quae rex iis negaverat, impetrarent a quindecimviris illis ab ephoris missis, praesertim cum Deliis favisse videatur Lysander — tres coronas certe aureas dicavit Apollini Delio magni pretii.[9]).

Ex eis, quae consecuta sunt, temporibus per decem anno paene nihil de rebus deliacis habemus compertum, cum et scriptores an-

---

[9]) Laudantur coronae illae in inventario nondum edito, quod Hypsocle archonte (a. 279 a. Chr. n.) perscriptum est (in lin. 59 et 91) teste Homollio, qui tituli huius partes aliquas in commentario attulit ad illustrandas Demar. arch. rationes adiecto: Bull. de Corr. Hell. VI, p. 153.

tiqui plane taceant neque tituli sint inventi, per quos historia insulae illustretur. Commemoranda est tantum praeter Lysandri illas tres corona aurea quinquaginta amplius drachmarum pondo, quam dicavit Pharax Lacedaemonius, anno videlicet illo, quo nauarchus cum classe Dercyllidae subsidio est missus.[10]) Qua re apparet Lacedaemonios, tunc temporis maris Aegaei imperium obtinentes, Deli quoque auctoritate longe antecessisse Athenienses, quorum nulla munera commemorantur. Nihilo minus scimus eos quotannis theoriam misisse Delum ad festum Apollinis celebrandum,[11]) ludos vero quinquennales esse a Deliis omissos cum per se ipsum sit verisimillimum ob odium erga Athenienses, tum sine ulla dubitatione affirmare licet coronarum aurearum numero computato: cum enim duodecima Ol. 103,[12]) decima certe Ol. 101 sit dicata, sextam autem magna cum probabilitatis specie ad Ol. 93 rettulerimus, per septem Olympiades tres tantum coronae deo Delio oblatae videntur.

Quod autem post Lacedaemoniorum ad Cnidum cladem urbisque moenia a Conone restituta Athenienses etiam deliacam amphictyoniam redintegrare atque in pristinum modum restituere conatos esse constat cum ex quodam Isocratei *Πλαταικοῦ* loco sane obscura,[13]) tum e titulorum aliquot argumento (ut Swoboda, deinde Koehler uberius docuerunt), facere non potui, quin verisimillimum putarem eodem tempore illos templi deliaci amphictyoniae nomine ut antea administrationem denuo vindicasse atque ludos etiam quinquennales renovasse, Delia pristino more appellatos. Quam opinionem confirmavit Koehler, vir doctissimus, quem honoris causa nomino, summa liberalitate communicato mecum fragmento tituli Athenis a se inventi neque adhuc publici iuris facti, ubi perscriptae exstant sacri aerarii deliaci rationes ab amphictyonibus, qui magistratu functi sunt archonte Antipatro (Ol. 97, 4): atque hi iam a superiore collegio, quod munus Demostrati anno (Ol. 97, 3 = 390 a. Chr. n.) obiit, pecunias in sacro aerario positas se accepisse

---

10) Xen. Hell. III, 2, 12.
11) Xen. Mem. IV, 8, 2; Plat. Phaed. p. 58 b. c.
12) Timocrat. arch. rat. lin. 12—13: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 465.
13) Isocrat. XIV, 28.

profitentur.[14]) Sed alia difficultas inde oritur, quod per quattuor quinquennia tres tantum sunt dicatae coronae pentetericae, quae duplici ratione expediri potest: aut enim uno sollemni non est oblata deo corona solita, aut Deliorum celebratio semel est intermissa, id quod mihi longe verisimillimum videtur. Cum enim per se ipsum satis probabile sit annis illis, quibus ante Thebas a Pelopida liberatas maxima fuit terra marique Lacedaemoniorum potentia, et amphictyoniam deliacam redintegratam denuo dilapsam et festorum celebrationem esse neglectam, tollitur omnis dubitatio, si marmor Sandwicense accuratius inspicimus; nam hic titulus a solita norma rationum omnium, non solum ab amphictyonibus perscriptarum, tantopere abhorret, ut, nisi horum magistratuum seriem interruptam esse statuimus ante illum, a quo orditur titulus, annum, explicari nullo modo possit: sed hoc commodius exponere licet in ipso hoc titulo pertractando, ad quem iam transeo.

Marmor Sandwicense, quod saepius iam antea laudavi, diu iam notum, nuper vero frustulo non ita parvo a Koehlero edito auctum, continet res ab amphictyonibus per quadriennium, quod est inter Calleam et Socratidem Athenienses archontes (Ol. 99, 4—100, 3

---

[14]) Vel potius per ambos et Demostrati et Antigoni annos in magistratu permanserunt, ut demonstratur initio tituli: *τάδε ἔπραξαν ἀμφικτύονες — — — — — μέχρι Ἀντιπάτρου* collato cum verbis, quae statim post nomina amphictyonum perscripta sequuntur: *Λήμματα ἐπὶ Δημοστράτου* — administrarunt sacras pecunias iam Demostrato archonte sed non antea), deinde Antigono, per tertium et quartum Olympiadis 97 annos. Ex argumento tituli, maxime laceri non multa discimus: commemorantur et fundorum locationes et usurae perpensae, occurrunt et civitatum nomina — Syri et Pari — et privatorum hominum (*Πασικλῆς Τ[ήνιος]* appellatur etiam in C. I. A. 814[b.] lin. 12 et Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 317, lin. 19; Hypsocles Delius et hic et in marmore Sandwicensi saepissime nominatur). Inter amphictyones legitur nomen Thrasybuli Thrasonis f. Collytensis, qui quin idem fuerit atque vir notissimus multumque in republica versatus huius nominis et pagi (de quo cfr. Schäfer, Demosthenes I, p. 128), minime dubito. — Ceterum aliud etiam exstat tituli fragmentum, quod ob scripturae rationem ad initium quarti saeculi Homollius rettulit (Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 302—4), sed nullius est momenti.

= 377—73 a. Chr. n.) gestas.[15]) Atque amphictyonum nomina si perscrutamur duobus locis perscripta, videmus tribus prioribus annis, quibus Calleas, Charisander, Hippodamas Athenis, Epigenes, Galaeus,[16]) Hippias Deli archontes fuerunt, collegium quattuor virorum munere esse functum, quorum tres, Epigenem Metagenis f. Coelensem, Antimachum Euthynomi f. Marathonium, Epicratem Menestrati f. Palleneum non solum per totum hoc triennium, sed etiam insequenti anno munus obiisse apparet, quartus vero Idiotes Theogenis f. Acharnensis post unum iam annum magistratu abiit, quique in eius locum substitutus est Sosigenes Sosiadae f. Xypetaeensis non multo longius munere functus item collegium reliquit nullo alio suffecto.[17]) Insequenti vero anno, cum Socratides Athenis, Pyrraethus Deli archon esset, vel potius iam inde a Scirophorione mense anni antecedentis,[18]) collegium ad quinque virorum numerum ita auctum esse videmus, ut ad tres illos, qui iam nobis sunt noti, Epigenem, Antimachum, Epicratem, duo adlegerentur, Nicomenes Hieronis f. Halaeensis et Oeensis quidam, cuius nomen evanidum est. Indidem discimus Atheniensium magistratibus adiunctos esse Andriorum amphictyones quinque.[19]). Ut rem paucis absolvam, tribus primis annis videmus eadem ratione, qua prioris Atheniensium dominationis tempore, collegium amphictyonum esse

---

15) C. I. A. II, 814, a parte antica et postica inscriptus (= C. I. G. 158 = Dittenb. Syll. Inscr. Graec. 70); locupletissimo commentario est instructus a Boeckhio: Staatshaush. d. Athen. II 3, p. 68 sqq.; frustulum a Koehlero additum designatur: C. I. A. II, 814 b.

16) Correxit Hicks.

17) C. I. A. II, 814, lin. 2—10. 18) C. I. A. II, 814 b. lin. 16—23.

19) Vulgo quattuor tantum fuisse putant, sed cum in lapide haec exstent: *'Ανδρίων· Δαμάλης Δὰμάλο[ς* — lacuna viginti duarum litterarum — *Λε]ωγορίδο(υ), Θεοτέλης 'Ανδροχρίτο(υ) Με* — — — —, necesse est post *Δαμάλους* vocem praeter amphictyonis illius, qui Leogoridae fuit filius, nomen, quippe quod nullo modo tantam lacunam solum explere potuerit, excidisse statuamus alius civis Andrii et proprium nomen et paternum: quae si non longiora fuisse sumimus quam »Damales Damalis«, quattuordecim litterarum spatium explent, octo litterarum spatio continebatur tertii amphictyonis nomen proprium, quartus fuit tum Theoteles Androcriti f., quinti nomen praeter primam syllabam 'Me' periit.

constitutum, quarto autem aliam esse initam, quam usque ad huius saeculi exitum fere permansisse licet credere inde ab hoc Sciro-phorione mense anni secundi Olympiadis 101 (= 374 a. Chr. n.).

Iam ex his, quae ex titulo nostro desumpta attuli, conicere licet, ut supra dixi, non ante Nausinici annum (Ol. 100, 3 = 378/77) templum deliacum sub Atheniensium potestatem rediisse, cum amphictyonum munus contra pristinam consuetudinem per triennium prorogatum indicio sit extraordinarios quosdam hos fuisse magistratus; sed certius fiet nostrum de hac re iudicium, si rationes ipsas ab illis litteris mandatas perscrutabimur. Boeckhium iam, praeclarissimum artis epigraphicae magistrum, offendit, quod dei agri per duos solum annos, aedificia per unum annum huius triennii locata dicerentur,[20]) frustraque expedire difficultatem ita est conatus, ut aedificia, quorum merces annua hic indicatur, Charisandro demum archonte in dei potestatem venisse statueret, quo anno Deliorum aliquot impietatis crimine damnatorum bona publicata essent.[21]) Qua in re nollem Dittenbergerus eum secutus esset:[22]) iam enim Cratete archonte dei fuisse scimus propria aedificia aliquot et in eorum catalogo, qui nostro titulo extremo est subiunctus,[23]) inter pristinos dominos ne unum quidem exstat damnati cuiusquam nomen. Gravius etiam est (id quod neminem adhuc animadvertisse maxime miror), quod, cum quaestores omnes — quocunque appellantur nomine — alioqui semper in rationibus reddendis perscriberent ante cetera, quantam pecuniarum summam inito magistratu et a quibus accepissent, hi amphictyones neque prioris collegii mentionem ullam fecerunt, et ne unam quidem drachmam in aerario sacro invenisse videntur. Quae difficultates facile omnes tolluntur, si hos fuisse sumimus primos Atheniensium amphictyones post interruptam aliquamdiu magistratus seriem denuo institutos: pecunias illas non ita magnas, quas in aerario inito magistratu invenissent, Deliis eos credo permisisse una cum mercedibus praediorum ab illis etiam locatorum, e quibus sacrificia τὰ κατὰ μῆνα procurarentur aliaeque impensae minores fierent,

---

[20]) Ibid. ant. p. lin. 27—30.

[21]) Staatshaush. d. Athen. II³, p. 83.

[22]) Syll. Inscr. Graec. I, 70, not. 21.

[23]) Marm. Sandw. post. p. lin. 31 sqq.

sibi autem reservasse, quae ex usuris redirent et ex iis fundis, quos post prioris locationis tempus exactum ipsi locassent.

Collegium igitur illud quattuor amphictyonum Atheniensium, pristino quidem more creatum, non ob aliam causam tam diu in munere remansisse videtur, nisi ut melius res omnes ad certam novamque normam redigere posset, qua in posterum a novis magistratibus adiunctis etiam sociorum legatis administrarentur pecuniae sacrae: erat enim tempus, quo Athenienses, ut pristinum recuperarent imperium maritimum, socios allicere conabantur maximis commodis concessis vitabantque omnia, quae illorum animos offendere possent. Hic quaerat quispiam, cur amphictyones illi quarti anni, quos primos fuisse ordinarios statuo, magistratum inierint Scirophorione potius mense quam initio anni civilis;[24]) sed iam supra dixi, cum de tempore Apollinis festorum disputarem, nullam aliam ob causam illud esse factum nisi ob Deliorum tempus, quibus peractis munus inire solebant magistratus novi ut Athenis quaestores Minervae post Panathenaea celebrata.

Delia hic intellegi volo quinquennalia, non Apollinea annua, vulgo eodem nomine appellata: auctore enim Boeckhio[25]) statuo illas, quae in Marmoris fragmento superiore leguntur, impensas ad ludos πεντετηρίδος celebrandos esse factas. Scio sane illius sententiam impugnasse Koehlerum in commentario titulo nostro adiecto, cum contenderet inter impensas anni quarti, quas e frustulo secundo primus edidit, esse commemorata praemia eis proposita, qui vicissent in certamine musico et gymnico, hoc autem aliud esse non posse nisi illud quinto quoque anno celebratum. Sed ut contra viri doctissimi sententiam dicere audeam, adducor diligentissime examinata ratione, qua sumptus perscripti sunt in tabula. Nam cum minima quaeque per se ipsa recenseantur, nullum fit discrimen inter singulorum primi triennii annorum impensas atque huiusmodi sunt omnia, ut nisi una pensione pensa esse non possint.[26]) An quisquam credit Antimachum Philonis f. Hermaeum, qui theoros chorosque sacros transvexisse et pro hoc officio septem milia drachmarum accepisse legitur, per tres annos continuos trierarchia functum atque eundem semper electum esse, qui sacras

---

[24]) C. I. A. II, 814b. lin. 16 sq. [25]) Staatshaush. d. Athen. II 3, p. 73. [26]) M. S. p. antic. lin. 32 sqq.

legationes nave sua transportaret, vel opinatur reliquis duobus annis theoros de suo solvisse mercedem navis praefecto, a quo vehebantur? Legimus deinde ad unum festum celebrandum esse emptos centum et novem boves (pretio 8429 dr.) et eiusdem *εἰς προθύματα* nescio quantum pecuniae expensum (utroque enim loco scriptum est *εἰς τὴν ἑορτήν*, quo verbo non unum idemque festum significari non posse supervacaneum est monere); ad boves autem illos pertinent et *πέταλα χρυσᾶ* illa ad inauranda eorum cornua destinata et alimenta et ligna ad sacrificium necessaria; una cum his rebus tripodes eadem nave vectos videmus *νικητήρια τοῖς χοροῖς* (pro quibus faciendis drachmae mille erant pensae). Cum vero neque festum ullum sine choris et multo minus chori theorique sine festo, ad quod celebrandum mittantur, cogitari possint, necesse mihi videtur ambo haec coniungi in unum et, quae pro iis deus pependerit, uni anno adscribi eique ipsi, quo *ἡ ἑορτὴ* sit celebrata — nulla enim causa perspicitur, cur per annum amplius in boves centum alendos pecunias sacras consumpserint amphictyones. Quod vero *ἡ ἑορτὴ* appellatur, hoc dicendi genere mea quidem sententia designari non potuit unum aliquod e tribus festis annuis, quae per hoc tempus celebrari solebant, sed intellegendum esse patet sollemne illud quinquennale, praesertim cum, quae primo inter expensa loco exstat corona aurea, eam fuisse pentetericam evincitur verbis illis *ἀριστεῖον τοῦ θεοῦ*, de quibus supra exposui.

In una tantummodo impensa ut iam alii haereo; dico illud *ἀρχιθεώροις τάλαντον*; cum enim theoriae uni unum principem praeesse oportuerit, non satis liquet, cur plures hic appellentur, eaque praecipua, credo, causa fuit, ob quam tres hic theorias annuas intellegendas sibi persuaderet Koehler. Quam difficultatem neque prorsus expedire possum neque animum inducere, ut totam meam, quam modo exposui, ratiocinationem labefactari hoc uno argumento concedam: fieri potuit, ut non solum theoriae Atheniensium principi pecunia penderetur ad munus eius sublevandum, sed etiam aliarum civitatum sociarum architheoris, quomodo ex eodem titulo novimus Andriorum amphictyonibus item atque Atheniensibus ad victum comparandum constitutam fuisse summam quandam[27]) — cur tandem inter architheoros discrimen intercederet?

---

[27]) C. I. A. II, 814 b. lin. 32.

Atque ipsorum Atheniensium intererat cum sollemne Delium quam maxima pompa celebrari, tum socios optimo erga se animo esse.

Gravius est illud Koehleri argumentum inde petitum, quod insequenti demum anno perpensa sunt praemia ludorum,[28]) qui ludi certe sunt quinquennales illi: de aliis enim nihil compertum habemus. At utrum est verisimilius: praemia illa quidem esse et empta et proposita in anni prioris festo, pretium autem solutum a posterioris anni magistratibus, quippe qui paucis diebus post ludos peractos munus suum inierint, an coronam illam pentetericam amphictyones plus anno ante, quam deo offerretur, faciendam curasse? Huius certe rei nullum, quod sciam, exstat exemplum neque admodum est probabilis; illius vero similitudo invenitur in rationibus quaestorum Minervae archonte Glaucippo perscriptis: cuius anni secunda demum prytania pensae sunt pecuniae — et sex talentis quidem amplius — athlothetis et sacrificulis *ἐς Παναθήναια τὰ μεγάλα*[29]) sine dubio iam prima anni prytania celebrata.

Gravissimum denique videtur, quod quis obiicere possit hunc annum (Hippodamantis archontis), quo Delia peracta esse conatus sim demonstrare, esse Ol. 101 secundum, cum sollemne quinquennale constet tertio singularum Olympiadum anno factum: nullam autem perspici causam, ob quam putemus hunc usum, a Thucydide e quinto saeculo traditum, postea quarto immutatum. Haec qui contendit, refellat velim argumenta, quibus factam esse hanc mutationem supra demonstrasse mihi videor; sin autem refelli non possunt, concedat mihi, nescio quam ob causam Deliorum tempus esse e tertio in secundum cuiusque Olympiadis annum translatum — vel potius nihil concedat, nisi, ut nulli iam sit dubitationi haec quaestio obnoxia, perfecero aliis etiam documentis allatis. Nam exstat in amphictyonum rationibus Ol. 106 conscriptis locus a nullo adhuc explicatus: *τάδε προσπαρέδομεν ἐκ τῆς πεντετηρίδος ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος*,[30]) neque explicari ullo modo potest, nisi id, quod scriptum est, agnoscimus — fuisse sollemne quinquennale celebratum archonte Callistrato, quem munere functum esse constat Ol. 106 anno secundo. Deinde in titulo nuper reperto haec scripta leguntur:[31]) *τάδε παρέδοσαν ἀμφικτύονες οἱ ἐπὶ Πυθοδότου*

---

28) C. I. A. II, 814 b. lin. 27.

29) C. I. A. I, 188, lin. 5—7.

30) C. I. A. II, 818, lin. 9—10.

31) Bull. de Corr. Hell. VIII, p. 299 sqq.

ἄρχοντος ἀμφικτύοσι τοῖς ἐπὶ Σωσιγένους, οἱ δὲ ἀμφικτύονες οἱ ἐπὶ Σωσιγένους ἀμφικτύοσιν τοῖς ἐπὶ Νικομάχου (lacunas certissima ratione ab Homollio expletas non indicavi); inter cetera amphictyones, qui Sosigene archonte (Ol. 109, 3) munere functi sunt, se accepisse dicunt et succedentibus tradidisse coronas aureas pentetericas decem et octo, quarum ultimam sollemnibus huius ipsius Olympiadis quinquennalibus consecratam esse demonstratur numero earum cum Olympiadum serie collato: cum autem ab amphictyonum collegio superioris iam anni sit tradita, Delia, quibus est dicata, non ad hunc tertium, sed iam ad illum secundum Olympiadis annum, quo Pythodotus fuit archon, esse referenda patet. Atque idem dicere licet de titulo quodam iam Boeckhio cognito,[32]) ubi profitentur hi magistratus a superiore iam collegio, quod munus sustinuisset Euaeneto archonte (Ol. 111, 2), accepisse se vicesimam coronam ludis quinquennalibus dicatam atque eis quidem, quos ipsius huius Olympiadis secundo, non tertio anno celebratos esse eadem, qua supra, ratiocinatione assequimur.

Quae cum ita se habeant, iam intellegitur, cur sub ipsum exitum secundi Ol. 101 anni magistratum inierit amphictyonum collegium nova ratione ex Atheniensibus Andriisque quinis compositum, scilicet post Delia paucis ante diebus peracta novo incipiente quinquennio. Neque collegium modo novum hoc tempore magistratum iniisse, sed etiam administrationem totam nova lege esse constitutam vel ex iis, quae supra disputavi, apparet, sed hic, quae antea diversis locis paucis attigi, uberius pertractabo atque in unum collecta firmare conabor.

Scimus enim amphictyones, cum primo triennio munus inirent, neque in aerario dei quidquam acceptum habuisse neque pecunias, quae e fundis locatis per unum, ex aedificiis templi propriis vel per duos annos percipiendae erant, exegisse, atque haec omnia magistratibus deliacis ab eis permissa esse conieci, et recte quidem, ut mihi videor, cum aut aerarium vacuum fuisse aut mercedes prò praediis locatis nullas rediisse verisimile non sit. Atque confirmatur haec opinio, si expensorum rationes perscrutamur. Paucis enim omissis, de quibus, cum scriptura admodum sit detrita, certi nihil statuere licet, praeter pecunias amphictyonibus ad victum comparandum

---

[32]) Staatshaush. d. Athen. II³, p. 286 ff. = C. I. A. II, 824.

aliasque privatis aliquot hominibus mutuas datas cetera omnia demonstravimus esse expensa ad sollemne quinquennale celebrandum: unde patet omnem sumptum quotidianum in sacrificia *τὰ κατὰ μῆνα*, aedificia sacra aliaque huiusmodi faciendum magistratus Athenienses per hoc triennium Deliis permisisse, cui pares esse non potuissent, nisi pecuniae iis essent quaedam sacrae assignatae. Haec omnia quarto illo anno, quo novum amphictyonum collegium magistratum iniit, commutata videmus: ad eos iam est delata tota rerum sacrarum administratio, in suum recipiunt aerarium pecunias omnes deo redeuntes, ex eodem impensas suppeditant et magnas et parvas ad sacrificia menstrua facienda, ad mercedem ministris dandam, ad murum quendam exstruendum, ad aedificium, cui *ἐπιστάσιον* nomen est, restaurandum, ad alia denique quaedam non satis certa.[33])

De pecuniis et acceptis et expensis non multum habeo novi quod afferam post luculentissimum Boeckhii commentarium;[34]) sed non sunt praetermittendae haec rationes, cum unum hoc exstet documentum Atheniensium administrationis integrum; et inter Boeckhii meamque disserendi rationem hoc maxime interest, quod vir ille doctissimus ipsum modo titulum explicare sibi proposuit, ego vero ex eo aerarii sacri vices illustrare studeo.

Inter templi reditus primum locum obtinent usurae pecuniarum, quae mutuae dabantur vel civitatibus vel hominibus privatis ea condicione, ut pro centenis drachmis quotannis denas penderent (*τόκους ἐπιδεκάτους*), post quinque vero annos ipsum caput redderent: haec enim e rationibus Cratete archonte conscriptis a Boeckhio explicata[35]) non dubito ad nostri tituli tempus transferre, quoniam antiqua lege fenori datae dicuntur pecuniae.[36]). Pecuniae vero mutuae maximam partem a civitatibus esse sumptam iisque exteris, non magis est quod miremur, quam in earum numero

---

[33]) C. I. A. II, 814 b, lin. 26 sqq. [34]) Staatshaush. d. Athen. II 3, p. 68 ff. [35]) Boeckh, Erklärung einer attischen Urkunde etc. (Kl. Schriften B. V.) § 13. [36]) *Τάδε ἐδανείσαμεν ἐπὶ ταῖς αὐταῖς συνθήκαις καθάπερ οἱ ἄλλοι τὰ ἱερὰ χρήματα τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου δεδανεισμένοι εἰσί*: C. I. A. II, 814 b, lin. 10 et l. 37. De hac lege, quam constat etiam postea valuisse liberae reipublicae tempore cfr. quae infra disputantur.

principem locum obtinere eas, quae in Cycladibus insulis sitae sunt. Nominantur omnino haec: Andros, Ceos, Myconos, Naxos, Paros, Seriphos, Siphnos, Syros, Tenos, deinde Carystos in Euboea, Oene et Thermae in Icaro sitae et Ios. Quia vero usurarum quantum per triennium et solutum sit et non solutum (quarto anno nescio quam ob causam nullae sunt pensae), accurate in titulo exstat perscriptum, summam earum colligere neque quidquam habet negotii et operae pretium est, cum inde facili ratiocinatione computare liceat totum aes alienum templo debitum, id est — summam omnium dei pecuniarum.

A pecuniis ordior civitatibus, quae supra appellatae sunt, fenori datis:[37]) quarum duae — Seriphos et Ios — omnes usuras,[38]) octo partem tantum pependerunt:

	persolverunt	residuae fuerunt	usurarum summa:
Cei	5472 dr. 4½ ob.	4127 dr. 1½ ob.	9600 dr.
Myconii	1260 dr.	420 dr.	1680 dr.
Parii	2970 dr.	25830 dr.	28800 dr.
Seriphii	1600 dr.		1600 dr.
Siphnii	3190 dr. 4 ob.	2089 dr. 2 ob.	5280 dr.
Syrii	2300 dr.	4900 dr.	7200 dr.
Tenii	6000 dr.	2400 dr.	8400 dr.
Oenaei in Icaro	4000 dr.	6080 dr.	10080 dr.
Thermaei in Icaro	400 dr.	400 dr.	800 dr.
Ietae	800 dr.		800 dr.

Tres, quorum nomina sequuntur, nihil per triennium perpenderunt, cum deberent:

Andrii: 12 000 dr.
Naxii: 9 600 dr.
Carystii: 8 400 dr.

Pensae igitur sunt 27 993 dr. 2½ ob., non persolutae per quadriennium 76 246 dr. 3½ ob.; usurarum a tredecim civitatibus debitarum summa 104 240 dr. Quae cum essent per quattuor annos

---

37) M. Sandw. p. ant. lin. 11—15; postic. lin. 1—10. 38) Causa non liquet, cur usuras pro quattuor annis debitas primo triennio persolverint, et absolvisse eas certum est, cum in numero earum, quae iusta non pependerunt, civitatum non referantur.

exigendae, quarta earum pars quotannis persolvi debebat, et erat ipsa totius pecuniae mutuae datae decima, ut tabula nobis alia constituenda sit hunc in modum:

	usurae per quattuor annos debitae	usurae annuae	aes alienum totum
	dr.	dr.	dr.
Andriorum	12000	3000	30000
Ceorum	9600	2400	24000
Myconiorum	1680	420	4200
Naxiorum	9600	2400	24000
Pariorum	28800	7200	72000
Seriphiorum	1600	400	4000
Siphniorum	5280	1320	13200
Syriorum	7200	1800	18000
Teniorum	8400	2100	21000
Carystiorum	8400	2100	21000
Oenaeorum	10080	2520	25200
Thermaeorum	800	200	2000
Ietarum	800	200	2000

Usurarum omnium quotannis debitarum summa est: 26 060 dr., pecuniae omnes tredecim civitatibus mutuae datae: 260 600 dr. vel 43 tal. 2600 dr.

Quod ad aes alienum a privatis hominibus contractum attinet,[39]) nolo singula afferre, cum horum debitorum nemo sit nobis aliunde cognitus; sat erit dicere in eorum numero referri Delios decem, Tenios tres, Andrios, Carystios, Syrios singulos, Athenienses quattuor, ex quibus pagi nomine adiecto tres designantur, unus Atheniensis tantum appellatur: videlicet pecuniam mutuam sumpserat a magistratibus deliacis, priusquam templi administratio denuo ad Athenienses devenisset, qui popularium suorum nominibus in debitorum tabulis demoticum addere solebant. Usurarum, quae per quadriennium sunt pensae, summa est 4925 drachmis haudquaquam minor (fortasse 400 drachmis maior); ad eam accedunt pensionum non persolutarum, quae quidem certa ratione legi possint, drachmae 3855 et oboli duo; haec in unum redacta conficiunt drachmas circiter 8800 (accuratius 8780 dr. 2 ob.), quae sunt usurae per quattuor annos debitae: eadem igitur, qua supra, ratiocinatione effi-

[39]) M. Sandw. p. ant. lin. 15—24 et p. post. lin. 10—23.

cimus, esse 2200 dr. usurarum nomine quotannis pensas totumque aes alienum a privatis contractum fuisse 22000 dr. vel 3 tal. 4000 dr.

Itaque pecuniarum omnium dei, quae aut civitatibus aut privatis hominibus mutuae datae erant, summam computamus 47 tal. paullo maiorem (47 tal. 600 dr.), vel, si quaedam intercidisse in lacunis reputamus, ad 50 talenta (sed nullo modo amplius) eam aestimare possumus.

Secundo loco recensenda sunt, quae pro praediis templi locatis quotannis redierunt: duobus hace tituli nostri locis exstant perscripta,[40] sed, quod maxime mireris, ita, ut non inter se concinant. Nam eo biennio, quo fuerunt Charisander et Hippodamas archontes, pensas videmus pro fundis Rheneae sitis — 13220 dr. vel quotannis 6610 dr., pro agris deliacis — 2484 dr., vel quotannis 1242 dr.; anno vero, qui insequitur, Socratidis archontis illorum merces fuit drachmarum 6400 fere (pauca perierunt, quae drachmas centum superare non potuerunt), horum autem — 1522 dr., ut quod in unis amitteretur, in alteris recuperaretur, summa fere eadem maneret. Cuius mutationis causa, praesertim tam brevi temporis spatio intercedente factae, certa nulla perspicitur, neque clarior res fit adhibitis superiorum annorum rationibus eis, quae Cratete archonte sunt conscriptae.[41]) Ratiocinationem meam ut magis perspicuam reddam, tabulam propono hunc in modum confectam:

Mercedes e locatione perceptae	Cratete archonte	Charisandro et Hippodamante	Socratide
fundorum Rheneae:	7110 dr.	6610 dr.	6400 dr.
fundorum deliacorum:	minus 1000 dr.[42])	1242 dr.	1542 dr.
	8110 dr.	7852 dr.	7942 dr.

Huius rei causam ad liquidum perduci nullo modo posse iam supra dixi; quae vero coniectando assequi possumus, haec sunt: auctos esse fundos a deo Deli in insula possessos hominum pri-

---

40) M. Sandw. p. ant. lin. 27—29 et fragm. b. lin. 24—25.

41) C. I. A. I, 283, lin. 15—24.

42) Minime est obliviscendum in hac summa inesse mercedes pro domibus persolutas, quae nostri tituli (M. Sandw.) tempore separatim recensentur et trecentas fere drachmas efficiunt in hac tabula non numeratas.

vatorum liberalitate, ut Niciae exemplo cognitum habemus; Rheneae vero fundorum mercedes esse imminutas ipsorum agrorum aut pretio paullatim decrescente aut numero. Atque prius, quod factum esse multo posteriore tempore Homollius, satis certis nisus lapidum testimoniis, demonstrasse mihi videtur,[43]) ad quartum iam saeculum ne referri non possit, vehementer vereor. Imminutum igitur statuo fundorum numerum, non venditione hoc esse factum existimans — nam huius rei in titulo nostro mentio fieri certe oportuit, quoniam mercedum imminutio exstitit inter Hippodamantis archontis Socratidisque annos, quorum integras fere habemus rationes —, sed causam repetens a sepulturis in Rhenea insula, ex quo tempore Deli mortuos sepeliri dei iussu non licuit, factis, quibus fieri non potuit, quin progressu temporis agrorum ambitus magis magisque circumscriberetur. Hoc mihi diu multumque reputanti si minus certum, at tamen verisimillimum est visum.

Venio nunc ad domorum locationes, pro quibus et Hippodamante et Socratide archontibus (nam Charisandro nullas esse numeratas mercedes vidimus) iam dixi pensas drachmas fere trecentas (vel 297).[44]). Sed hoc minoris est momenti, quoniam neque quot fuerint domus locatae, neque quantum vel antea vel postea pro iis pensum sit, cognitum habemus. Iam supra commemoravi Boeckhium eumque secutum Dittenbergerum credidisse domus illas fuisse inter alia bona eorum publicata, qui Charisandro archonte impietatis crimine essent damnati: quam sententiam refellere conatus sum e rationibus Cratete archonte conscriptis, quippe in quibus domus iam quaedam dei sacrae Deli commemorentur locatae. Minime igitur possum viris illis doctis assentiri, quae sub finem lapidis enumerantur *οἰκίαι ἱεραὶ τοῦ Ἀπόλλωνος*,[45]) publicatas damnatorum esse opinantibus; nam ne verbo quidem mentio fit hoc demum tempore eas in dei possessionem venisse, quod ab amphictyonibus praetermitti nullo modo potuit; accedit quod in posterioris aetatis rationibus, lacunosis illis quidem et scripturae evanidae, semper sub tituli finem perscriptae sunt domus sacrae additis non solum (ut in nostro factum est) priorum dominorum, sed etiam conductorum nominibus atque mercede, qua conduxerunt.

---

[43]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 65. [44]) M. Sandw. p. ant. lin. 30 et Fragm. b. lin. 25. [45]) M. Sandw. p. post. lin. 31 sqq.

Atque etiam de damnatis, quorum nomina exstant perscripta in lapide una cum multa singulis irrogata, aliter sentio atque plerique. Affirmant enim viri docti esse hunc indicem debitorum dei ea lege litteris mandatum, ut multa soluta eraderentur nomina — et unum certe erasum est. Scio equidem hoc usu venisse; sed quid inter illas debitorum tabulas titulumque nostrum discriminis intercedat, demonstrare volo allato uno exemplo e multis, quod mihi primum in mentem venit. In lege illa de Codri τεμένει collocando lata haec exstant:[46]) *ὁ δὲ βασιλεὺς ἐξαλειψάτω τὸν πριάμενον τὴν ἰλύν, ἐπειδὰν ἀποδῷ τὴμ μίσθωσιν*, sed minime est opus demonstrare emptoris nomen pretio persoluto in debitorum quidem tabula erasum, in apodictarum rationibus esse perscriptum simul cum pecuniae summa, quam pependisset. Longe aliter res se habet in nostro titulo, quippe in quo non solum exstent incisa debitorum nomina, sed etiam pecuniarum acceptarum rationes reddantur, ut, quae in debitorum tabula eraderentur, inter accepta fuerint referenda: ubinam sunt decem milia drachmarum illa, quae homo damnatus, cuius nomen erasum est, pependisse dicitur? In rationibus certe neque primi triennii (quo tempore est damnatus) neque quarti anni ullum tantae pecuniae vestigium invenitur. Forsitan quispiam credat hominem illum ignotum solvisse debita, postquam insequens iam amphictyonum collegium magistratum inisset, pecuniamque ab eo perpensam exstitisse in horum rationibus deperditis; at verisimile non est ex octo hominibus damnatis unum multam persolvisse, septem ne drachmam quidem, neque magis probabile est civitates illas eodem in titulo ut debitores commemoratas nunquam aere alieno contracto usurisque debitis se liberasse: quo facto necesse fuisset eodem modo illarum quoque nomina eradi a magistratibus atticis, qui pecunias redditas accepissent. Denique, quod maximi mihi videtur momenti, vulgari sententiae adversantur, quae huic parti tituli praemissa sunt verba:[47]) *οἵδε ὦφλον Δηλίων ἀσεβείας ...... τίμημα τὸ ἐπιγεγραμμένον καὶ ἀειφυγία, ὅτι καὶ ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἦγον τοὺς ἀμφικτύονας καὶ ἔτυπτον.* Quibus quid amphictyones facturos fuisse putas, si ab omnibus multa perpensa omnium nomina erasa essent (quod in uno

46) C. I. A. IV. 2. 53 a. lin. 22 – 23. 47) M. Sandw. p. post. lin. 24 sqq.

factum esse affirmant viri docti)? Nam tum haec verba item fuisse exsculpenda quominus sumamus, impedit illud, quod fieri non potuit, ut amphictyones et facinoris et hominum impiorum condemnationis memoriam exstinguere vellent; ac si voluissent, non iis licuisset, quod vel multa perpensa exilii sempiterni poena certe non liberati essent damnati.[48]) Quid quod ne illius quidem hominis unius nomen eradi potuisset, nisi simul cum multa exilii poena esset liberatus? Quod quam ob causam sit factum, nescio, sed puto eum innocentia sua probata vel alia ratione quadam cum Atheniensibus in gratiam rediisse, ut scimus Alcibiadis ob similem culpam damnati, postquam in patriam est revocatus, non modo nomen erasum, sed etiam lapides ipsos in mare deiectos. Quibus rationibus adducor, ut non ob aliam causam in titulo nostro damnatorum nomina perscripta esse credam, nisi ut et ipsorum quodammodo devoveretur memoria et deterrerentur ceteri, ne simile scelus committere auderent. Magnopere etiam dubito, num Apollini sit pensa haec multarum summa: hermocopidarum quidem bona *δημιόπρατα* in aerarium publicum civitatis Atheniensis relata esse constat, non in sacrum aliquod aerarium, quamvis essent item impietatis damnati. Alterum affero exemplum: Midiae propter iniuriam illam Demostheni chorago illatam Dionysiorumque sanctitatem violatam in ius vocato — causa est nostrae simillima — dicit adversarius, si damnatus esset, non deo, quem impietate laesisset, sed aerario publico solvendam esse multam. Accedit, quod ipsis amphictyonibus Atheniensium indignum in modum vexatis aliqua ratione satisfieri debuit, ut partem pecuniae exactae iis pensam esse credam.

Alii sunt perscripti in titulo nostro reditus, quos per actionem iudiciariam in sacrum dei aerarium ab amphictyonibus administratum pervenisse apparet. Tres enim exstant pecuniarum summae,[49]) quae quomodo sint a quaestoribus acceptae, his verbis declaratur: *εἰσεπράχθη μηνυθὲν ἐκ τῶν Ἐπισθένους Δηλίου* (480 dr.), *εἰσεπράχθη*

---

[48]) Quare magnopere erravit Boeckhius, cum statueret Pyrraethum, qui anno insequenti Deli archon fuit, esse eundem atque hominem huius nominis, qui inter damnatos impietatis occurrit: Staatshaush. d. Athen. II³, p. 93. [49]) M. Sandw. p. ant. lin. 24 - 26.

μηνυθὲν παρὰ Πύθωνος Δηλίου (1500 dr.),[50]) quae quin sint pecuniae a deo mutuae datae neque a debitoribus redditae eamque ob causam per iudicium exactae, vix in dubium vocari potest, quamvis sit inusitata haec formula. Deinde sequitur: *ἐκ τῶν ἐνεχύρων τῶν ὠφληκότων τὰς δίκας τιμῆς κεφάλαιον* — 1845 dr., quas in aerarium pervenisse patet e pignoribus debitorum venditis, qui ob aes alienum non persolutum in ius vocati damnatique essent; cognitum enim habemus creditoribus iure attico licuisse a debitoribus damnatis suo arbitrio pignora capere eaque vendere, dum pignorum venditorum pretium aes alienum debitum aequaret, quae ratio *ἐνεχυρασμός* graeco sermone appellatur.

Dubia sane res est de iudicio, a quo sunt damnati et impietatis rei et debitores *ὑπερήμεροι*. Atque mihi quidem compositum esse videtur ex iudicibus atticis (adlectis fortasse sociorum legatis); non enim fuisse heliastarum iudicium ordinarium patet ex ipso hoc lapide, in quo pecuniae quaedam expensae esse dicuntur »ad ius dicendum a senatu missis (*τοῖς εἰς τὰς δίκας πεμφθεῖσιν ὑπὸ τῆς βουλῆς*)«,[51]) unde perspicitur legatos hos senatus, iuris dicundi potestate praeditos, tribunal suum Deli, non Athenis habuisse. Haec fere sunt, quae de re iudiciaria cum quadam probabilitatis specie affirmari possunt, nisi quod e vestigiis quibusdam apparet haec iudicia per totum administrationis atticae tempus permansisse: in populi enim decreto, quo Pythodoro Heraippi f. Delio proxeniae honores tribuuntur, amphictyones Atheniensium iubentur titulum

---

[50]) Satis est mirum, cur inter duas has formulas, quibus rem eandem significari certum est, tale discrimen intercedat, ut in una pecunia exacta dicatur *ἐκ τῶν Ἐπισθένους*, in altera *παρὰ Πύθωνος*; cuius rei causae multae excogitari possunt, verisimillima mihi haec videtur: Episthenes, cum pecunia ab eo exigeretur, iam mortuus erat atque idcirco aes alienum debitum non ab ipso, ut a Pythone, sed e re eius familiari, quam heredibus reliquerat, exactum dicitur. Nescio an non supervacaneum sit commemorare in posterioris temporis rationibus appellari inter aedificia dei propria domum quandam, quae *Ἐπισθένεια* vocetur, ut conicere liceat pecuniam exactam satis grandem non suffecisse ad debitum solvendum atque domum etiam eius pro pecunia non pensa ab amphictyonibus publicatam — sed hoc incertum, quoniam eundem esse hominem demonstrari nullo modo potest.

[51]) M. Sandw. Fragm. b. lin. 32.

hunc honorificum lapidi incidendum curare »e pecuniis, quae per iudicium a damnatis sint exactae«;[52]) ac similiter in rationum amphictyonicarum fragmento quodam inter alia lacunis obscurata exstat perscripta multa, qua civis quidam Ieta damnatus dicitur[53]) a iudicio, certe hoc ipso attico-deliaco (quod amphictyonicum appellare non audeo): aliter enim in his potissimum tabulis vix esset scripta. Minora quaedam vestigia in duobus vel tribus aliis exstant titulis[54]); sed in iis perscrutandis tempus terere nolo, quoniam nisi novis repertis documentis res ad certum perduci non quit: hoc quidem tenendum mihi videtur fuisse Deli iudicium e civibus atticis compositum, quotannis a senatu Atheniensium legatis ad ius dicendum de rebus ad templi Apollinei administrationem deique pecunias pertinentibus.

Sed ad pecunias ab amphictyonibus acceptas ut tandem aliquando redeamus, vectigalia (*τέλη*), quae redemptoribus ab eis addicta esse scimus,[55]) cum liberae tantum reipublicae temporibus qua ratione exacta sint, satis exploratum habeamus, ibi erunt tractanda. Nam in marmore Sandwicensi, quod solum integrum administrationis eorum documentum esse dixi. nulla vectigalium fit mentio, ut verisimile sit aliis bonis dei locatis haec quoque contineri, praesertim cum alias etiam saepissime non secernantur. Satis igitur habeo eorum nomina afferre, ut in uno titulo eoque mutilo occurrunt:[56]) ius purpurae piscandae et duobus quidem locis — *περὶ τὸν ἰσθμόν*, i. e. Myconi insulae (ut e titulis posterioris aetatis apparet), et *περὶ τὴν νῆσον*, i. e. Hecatae insulam; deinde ius portorii in Myconi insulae portu percipiendi, quod redemptum legimus 204 dr. — haec sunt omnia; in titulo quidem C. I. A. II, 813 *πορφύρας* vox est a Koehlero restituta,[57]) sed quae subsequitur pecuniae summa pensae, plus talento, nullo modo ad eam potest referri, cum liberae

---

[52]) *ἐκ τῶν χρημάτων τῶν εἰςπραττομένων παρὰ τῶν τὰς δίκας ὀφλόντων*: Bull. de Corr. Hell. III, p. 473, lin. 26–27: de titulo infra verba faciam. [53]) C. I. A. II, 825, vel potius 778, B: hic enim primum fragmentum illud a Koehlero editum est, cum ad Delum pertinere nondum perspexisset. [54]) C. I. A. II, 822 (*ἐπ' Ἀρχίου ἄρχοντος* — Ol. 108, 3 = 346/45 a. Chr. n.); 823. [55]) Cfr. quae Homollius dixit de his rebus: Bull. de Corr. Hell. VI, p. 66—68. [56]) Bull. de Corr. Hell. VIII, p. 313 - 14. [57]) C. I. A. II, 813, lin. 5.

reipublicae tempore cognitum habeamus decem drachmis non amplius ex hoc vectigali rediisse.[58])

Venio iam ad impensas quaestorum examinandas, quarum partem quidem, sumptus dico primo triennio ad sollemne quinquennale celebrandum factos, iam satis mihi pertractasse videor.[59]) Neque multa sunt, quae de reliquis dici possunt, quoniam sunt lacunis misere laceratae; nam fere, pecuniarum ubi summae exstant, interciderunt ea, ad quae sunt expensae, ubi vero haec vel legere vel coniectura satis certa assequi possumus, desiderantur illae: omnino igitur tabula impensarum in integrum restitui non potest et satis erit de quibusdam maioris momenti rebus breviter admonere,

---

[58]) Demar. arch. rat. lin. 152: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 19–20; cfr. etiam Le Bas, II, 2092.

[59]) Pauca addenda videntur de coronae illius pentetericae pondere pretioque atque de ratione, quae inter utrumque intercedit. Cognitum habemus eam fuisse decimam dicatam, cumque exstent duodecim in titulo nuper ab Homollio reperto simul cum pondere perscriptae (Timocrat. arch. inventar. lin. 107—12: Bull. d. Corr. Hell. X, p 465), non magnae est operae pondus nostrae investigare, quod fuit 92½ dr.; quod si conferimus cum eius pretio, quod mercede argentarii adiecta mille quingentarum drachmarum fuisse e titulo nostro apparet, iam patet aureae drachmae pretium neque 10 neque 13½ argenti drachmis (quae Boeckhii fuit sententia) par esse: si enim vel maius hoc probaremus pretium, tota corona vix 1233 dr. aequaret, ut statuendum esset argentarium pro opera sua plus 250 dr. vel quinta parte rei ipsius accepisse, id quod credibile non est. Expeditur difficultas, si aureae drachmae pretium quindecim argenteis par fuisse statuimus, quod si est, coronae pretium ad 1387½ augetur, argentarii vero merces ad 112½ fere imminuitur, ut non multum distet ab illa, quam Boeckhius sumpserat centum drachmarum. Sed ne haec quidem λύσις satis placet, cum tantum auri pretium cum ratione aliunde nobis cognita non congruat — alia igitur via ineunda est. Athenis scimus a negotiatoribus usurpatum esse talentum aegineticum, cum nummi inde a Solonis tempore ferirentur ad normam talenti euboici, minam autem aegineticam constat parem fuisse 138—39 drachmis euboicis: ergo si coronae pondus aegineticis drachmis notatum esse statuimus, facili ratiocinatione assequimur 92½ dr. aegineticas pares esse 128 dr. fere euboicis, atque huius auri ponderis pretium cum circa mille quadringentas argenti drachmas aequet (100 dr. Boeckhium secutus argentario tribuo), efficitur, ut drachmae aureae pretium undecim fere argenteis fuerit par.

quatenus ad instituta amphictyoniae cognoscenda utiles esse possunt. Ex utraque impensarum tabula (primi triennii et quarti anni) apparet amphictyonibus et Atheniensium et Andriorum esse certam pecuniam numeratam ad victum comparandum (*εἰς τἀπιτήδεια*), atque hi quidem 2100 dr. acceperunt, illi item quarto anno (nam pecuniae tribus annis superioribus iis solutae summa est mutila) — una cum scribis primo et secundo 2658 dr.:[60]) Andriorum igitur unusquisque 420 dr. accepit — nam alium alio plus accepisse verisimile non est —, quae summa quomodo cum dierum numero conveniat, non satis perspicitur. Neque quidquam ad hanc rem explicandam prosunt pecuniae Atheniensibus numeratae, quoniam eis etiam *τὰ εἰς τἀπιτήδεια* scribis ambobus pensa continentur. Quorum primo, cum eadem fere dignitate uteretur qua ipsi magistratus, si idem atque amphictyonibus singulis numeratum esse sumimus, de 2658 illis dr. deductis sexies 420, scribae secundo restat summa 138 dr., quae tertia circiter pars est pecuniae magistratibus singulis pensae, neque id a veritate abhorret, quoniam *ὑπογραμματεῖς* ex infimis civibus vel etiam ex libertinis mercede non ita magna conduci solebant neque magni aestimabantur ut homines venales. Atque mercedis secundo huic amphictyonum scribae pensae vestigia non satis certa indagasse mihi videor: una enim cum tubicine et praecone minister, cui sit numeratum stipendium, quidam commemoratur, cuius nomen cum ab *ὑ* littera incipiat, *τῷ ὑ[πογραμματεῖ]* fuisse non sine aliqua probabilitatis specie conicias.[61])

Sub finem utriusque impensarum tabulae perscriptae exstant pecuniae foenori datae adiectis debitorum nominibus,[62]) quae neque singulae neque universae quantae fuerint dispici potest; sed maioris est momenti, quod de formula huic tituli parti praescripta satis multa supersunt, ut tabulis inter se collatis certa ratione in integrum restitui possit (ut supra iam attuli) hunc in modum: *τοῖςδε ἐδανείσαμεν ἐπὶ ταῖς αὐταῖς συνθήκαις καθάπερ οἱ ἄλλοι τὰ ἱερὰ χρήματα τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου δεδανεισμένοι εἰσίν.* Ubi *συνθήκας* vocem non ita esse intellegendam credo, ut condiciones significet ab amphictyonibus vel ab aliis magistratibus ad suum arbitrium constitutas, sed legem certam, cuius normam, quicunque

60) M. Sandw. fragm. b, lin. 8 et 33.

61) Ibid. lin. 28.

62) Ibid. lin. 10—14 et lin. 37 sqq.

templum delium administrabant, sequi debuerint. Non igitur differt mea sententia *συνθῆκαι* nomen ab *ἱερὰ συγγραφὴ* voce, quam e titulo liberae tempore civitatis deliacae conscripto Homollius et protulit et explicavit.[63])

Haec fere ad administrationem atheniensem cognoscendam percipimus e titulo Sandwicensi; de Deliis autem ipsis nihil discimus, nisi aegerrime eos tulisse dominationem peregrinorum redintegratam et odium suum foedissime explevisse amphictyonibus in ipso templo verberibus affectis. Sed unum divinando indagare possumus: fit inter alia aedificia, quae amphictyones sarcienda curarunt, cuiusdam mentio *ἐπιστασίου* nomine appellati,[64]) quod non aliud potest esse nisi domus, ubi *ἐπιστάτης* vel habitabat vel munere suo fungebatur; nam epistatae nomen ut nusquam in titulis amphictyonicis invenitur, ita saepissime occurrit in deliacis tempore liberae civitatis lapidi incisis, unde Homollius coniecit hunc magistratum ludis celebrandis quibusdam praefuisse, qua de re suo loco exponemus.

Miro sane casu accidit, ut, quemadmodum in eo, quem modo pertractavimus, titulo exstant integrae prope rationes pecuniarum Apollinis ab amphictyonibus redditae, ita in lapide nuper ab Homollio publici iuris facto reperiatur altera rationum harum pars non multo post scripta, inventaria continens sacrae supellectilis ab eisdem magistratibus in templis deliacis asservatae. Erant certe tituli huius generis iam Boeckhio cogniti,[65]) erant complures a Koehlero viro doctissimo in Corp. Inscr. Attic. vol. II publici iuris facti,[66]) sed fracti illi omnes et lacunis pessumdati: hic vero solus est ad litteram paene integer.

Maximi inter reliqua momenti sunt ad rationem, quae inter Deliorum civitatem Atheniensiumque intercessit, cognoscendam haec verba huic titulo praescripta: *ἐπὶ Τιμοκράτους ἄρχοντος Ἀθήνησι, ἐν Δήλῳ δὲ Ἀἰετίωνος τάδε ἀπέφηναν ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ καὶ παρέδοσαν σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ μετὰ βουλῆς Δηλίων καὶ ἱεροποιῶν Ἀπατουρίου καὶ συναρχόντων ἀμφικτύονες Ἀθηναίων Ἀρίστων Ἀφιδναῖος καὶ συνάρχοντες, οἷς Πραξιτέλης Πραξιάδου ἐγραμμάτευεν, ἀμφικτύοσιν Ἀθηναίων Θρασωνίδῃ Εὐπυρίδει καὶ συνάρχουσιν, οἷς Μένης Μενεκλέους ἐγραμμάτευεν.*[67])

---

63) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 63. 64) M. Sandw. fragm. b, lin. 30.
65) Staatshaush. d. Athen. II³, p. 286, 294, 299. 66) C. I. A. II, 813, 816, 817, 819, 820, 825—26. 67) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 461.

Est formula traditionum in titulis atticis usitatissima, paucis tantummodo immutatis; annus Timocratis archontis fuit primus Ol. 104 (= 364/63 a. Chr. n.); archonti atheniensi deliaci nomen ex antiquissimis temporibus adiungi solitum esse non est, quod moneam. Multo gravius est, quod ex hoc denique titulo intellegimus Atheniensium amphictyones non suo arbitrio res templi sacras administrasse, sed Deliorum et magistratibus adiuvantibus et senatu rationes probante. Nam dubium non est, quin Apaturius eiusque collegae sint magistratu functi eo, quem scimus posteriore tempore summam in rebus sacris administrandis obtinuisse potestatem. Quae autem fuerit ἱεροποιῶν horum condicio Atheniensibus dominantibus quaeque auctoritas et eorum et senatus, dignosci non potest. Credo non aliud fuisse eorum munus, nisi quod nomen ipsum indicat, ut sacrificia Apollini deisque reliquis, qui publice colebantur, rite facienda curarent et populi ἑστιάσεις, quae dicuntur, instituerent. Neque leve hoc fuisse officium vel inde apparet, quod Delii apud comicos per ludibrium dei parasiti appellantur et in mensis instruendis excellere praedicantur.[68]) Certe scimus fuisse Athenis eiusdem nominis magistratus, qui e singulis tribubus singuli in annum creabantur non a populo, sed a senatu[69]) similique fungebantur officio, ut verbi causa hecatomben panathenaicam non sacrificarent — hoc erat sacerdotis Athenae Poliadis —, at providerent,[70]) neque Athenis solum, sed etiam Myconi,[71]) Tei,[72]) Camiri,[73]) aliis in civitatibus inveniuntur ac semper sacris faciundis praesunt. Quam ob causam puto hieropoeos deliacos ad traditionem etiam rerum sacrarum ab amphictyonibus adhibitos esse, ut penes quos esset tota supellex templi ad sacrificia facienda necessaria: in pecuniis enim dei administrandis fundisque locandis nulla fit eorum mentio, quantum quidem nobis est notum — per se ipsos haec agere ut maiora Athenienses videntur maluisse. Quot autem fuerint hieropoei Deli, non patet e nostro titulo, sed quin duobus

---

68) Athen. IV, p. 172f. — 173c. 69) Ἀθήν. VI. p. 482.

70) Cfr. quaestorum Minervae rationes, Glaucippo archonte redditas: C. I. A. I, 188, lin. 6 7; maioris fortasse momenti etiam est ad munus eorum cognoscendum titulus: C. I. A. II, 163. 71) Ἀθήν. II, p. 237.

72) Le Bas-Wadd. Asie-Min. n. 88. 73) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 144.

maior numerus fuerit, dubium non est: verisimillima igitur est Homollii sententia titulos liberae quoque reipublicae deliacae ad hanc rem illustrandam adhibentis, quaternos esse quotannis creatos. Sed de his infra nobis agendum erit; nunc hoc addo: quoniam quattuor tribus ionicas Deli fuisse pro explorato haberi potest, et quattuor item virorum fuisse videmus illud collegium, satis esse verisimile, antiquitus hic quoque, ut Athenis, singulos ex singulis tribubus esse electos hieropoeos. Neque maiore quam hos auctoritate usum esse in rebus sacris administrandis senatum deliacum admodum est probabile, ut magis honoris causa ad consilium amphictyonicum adhibitum eum esse putandum sit, ne omnino Delii a templo deliaco seclusi atque segregati viderentur; sed in rationibus quaestorum examinandis nihil impedit, quominus eandem ei, quam Athenis quingentorum senatus habuit, potestatem tribuamus, ut ei modo rationi reddendae interesse et pecunias recte pensas esse testari, non ipsi, si quid peccatum esset, iudicare licuerit: quemadmodum in decreto, quo *οἱ ταμίαι τῶν ἄλλων θεῶν* instituuntur, prytanes pecunias a deis mutuas sumptas reddere iubentur *μετὰ τῆς βουλῆς*, i. e. coram senatu;[74]) dubium enim non est, quin Athenienses, cum Apollinis res sacras bona fide administrari ipsorum interesset, quam plurimos adhibere voluerint, qui et examinarent rationes et, si quid non satis recte esset actum, rem ad iudices deferrent.

Maxime deinde mirum videri debet, quod in titulo nostro, undecim non amplius annis post monumentum Sandwicense lapidi incisum conscripto, nulla de Andriorum vel aliorum sociorum amphictyonibus fit mentio. Itaque quoniam verisimile non est pecunias quidem dei esse communiter a concilio amphictyonico administratas, donorum vero et supellectilis sacrae curam Atheniensibus solis mandatam, tenendum videtur hoc tempore nullos iam sociorum amphictyones fuisse, praesertim cum praeter marmor Sandwicense in uno tantummodo tituli fragmento amphictyonis andrii cuiusdam vestigia, tenuissima sane atque incertissima, Homollius invenisse sibi visus sit.[75]) Etenim cognitum habemus Athenienses iam tum in rebus gerendis ea esse usos ratione, qua brevi tempore sociorum animos a se tantopere abalienarent, ut prima Epami-

---

[74]) C. I. A. I, 32, lin. 9—10. [75]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 317 sqq.

nondae expeditione maritima multi ad Thebanos deficerent: quod scimus factum in Ceo insula hoc ipso, quo titulus noster scriptus est, anno, ubi Iulidis civitas dominatione Atheniensium bis se liberare conata est amicis eorum vel pulsis vel capite damnatis.[76])

Neque Deli defuisse, qui cum Atheniensium partibus faverent, popularibus odio essent, testimonio nobis est decretum in honorem Pythodori Heraippi f. Delii a populo Atheniensium factum anno Lysistrati archontis (Ol. 102, 4 = 369/68), deinde sex annis post Chariclide archonte (Ol 105, 2 = 363/62) amplificatum iisdem honoribus in sororis filium (ipsum illum inde patet liberos non habuisse) collatis,[77]) ut publice laudaretur atque proxeni et εὐεργέτου populi Atheniensium nomine ornaretur; quibus honoribus usitatissimis additum est, ut cum senatus et praetores, tum amphictyones operam darent, ne qua ab inimicis iniuria afficeretur.[78])

Quare cum e titulo hoc appareat multos Deli fuisse, qui animo infesto non solum Athenienses, sed etiam eorum fautores perseque-

---

[76]) Mittheil. d. deutsch. arch. Instit. II, p. 142: cum Koehleri commentario. [77]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 473.

[78]) Non enim possum assentiri G. Loeschckio viro doctissimo mihique carissimo, in dissertatione de Phidiae morte scripta iudicanti haec verba nihil aliud spectare nisi maiorem eius honorem, cui populus illud decrevisset. Nam ubicunque occurrunt, periculum homini, cuius salus magistratibus commendatur imminens indicari, si non certe demonstrare (quod in hominibus prorsus ignotis nemo postulare potest), at probabili coniectur aassequi possumus. Ut exemplum afferam, Menonem illum, de quo Loeschckius ipso hoc loco verba fecit, non credo, cum Phidiam κλοπῆς δημοσίων χρημάτων incusaret, revera metuisse, ne quid mali a Pericle pateretur, sed hunc metum eum simulasse inde patet, quod antequam μήνυσιν faceret, ad summorum deorum aram supplex consedit: neque cur hoc fecerit, latet: invidiam enim Pericli conflare studebant eius adversarii, cum speciem prae se ferrent iam in republica Atheniensi tantam esse viri auctoritatem, ut ne amicos quidem eius sine periculo in ius vocare liceret. Atque in decreto nostro si honoris tantummodo gratia esset formula illa addita, nulla esset causa, cur praeter senatum summosque reipublicae magistratus amphictyonibus quoque Pythodori ab iniuria tuendi cura mandaretur: quod et utilissimum et maxime necessarium erat periculo ei revera a popularibus imminente, quoniam Deli habitanti praetores attici paene nihil prodesse, amphictyones vero, Delum missi, maximo usui esse poterant.

rentur, non temere conicere mihi videor Athenienses, postquam sociorum legati vel sua sponte vel (quod probabilius videtur) ipsorum impulsu e concilio amphictyonico decesserunt, ut conflatum hac re odium imminuerent imperiique cupiditatem speciosa ratione celarent, Deliorum magistratus senatumque aliqua ex parte participes fecisse templi administrandi. Sed priusquam inimicitiarum harum contentionisque eorum cum Deliis etiam atque etiam de templi possessione renovatae vices persequamur, reliquae nobis traditionis laterculi partes examinandae sunt, ut marmoris Sandwicensis exemplo omnia, quae ad divitias deorum templique administrationem cognoscendas usui esse possint, e titulo nostro percipiamus.

Atque ut primum quaeramus, quibus locis sint asservata dona undique Delum affluentia, tria videmus appellata: Dianae templum, ubi plurima eaque maximi pretii erant deposita, Ἀθηναίων νεών, 12 tantum coronis pentetericis donisque Niciae, Calliae, Autoclis, Euthydici Atheniensium insignem, de quibus supra dictum est, Tauromenitarum praeterea phialis tribus, Deliorum νεών, qui auri quidem non ita magnum pondus (quinque sunt coronae 304 drachmarum et monile 36 dr.), rerum autem aenearum numerum satis magnum continebat. Inde quaestio iam oritur, cur sanctissimum totius insulae templum Apollinis non commemoretur: utrum credamus nulla fuisse in eo dona asservata, an pecunias tantum in eius aerario positas administrasse amphictyonas, suppellectilem omnem hieropoeis curandam permisisse, cum in templis ceteris non gravarentur subulas aeneas easque fractas numerare? Neutrum probari potest. An coniciendum est rerum in Apollinis templo positarum traditiones in laterculis propriis fuisse perscriptas, ut unius Parthenonis divitiae hoc tempore in binis quotannis tabulis pro templi partibus describebantur? Negare prorsus non audeo, quanquam dubitationem movet, quod tot nobis servatis traditionum laterculis, quae ad tria illa templa pertinent, nullus exstat, qui certa ratione ad Apollinis thesaurum referendus sit.

Sed aliam ad hanc difficultatem tollendam rationem et sequi malo et proponere audeo. Credo duo fuisse Apollinis, praeter Cynthium illum a Lebegio investigatum,[79]) templa, unum quinto sae-

[79]) Lebègue, Recherches sur Délos. p. 44.

culo exeunte vel primis quarti annis exstructum, alterum multo vetustius: vix enim fieri potuisse puto, ut Delii antiquissimo illo atque simplicissimo delubro, in Cyntho monte sito, contenti essent usque ad Persarum bella, cum Delphis iam medio saeculo sexto fanum multo splendidius pro combusto esset aedificatum; amphictyonia vero deliaca condita et ludi quinquennales instituti ne cogitari quidem possunt nisi templo maiore exstante, ubi et aerarium sociorum asservaretur et pompae celebrarentur. Duo igitur haec templa in titulo nostro latere mihi persuasi sub »fani Atheniensium« et »fani Deliorum« nominibus. Nam si quis dicat *νεὼ* voce designari hic thesauros, qui dicuntur, a singulis populis ad asservanda dona sua exstructos, primum demonstret, quis unquam populus suo ipsius templo addiderit thesaurum proprium, id quod Delios fecisse iubemur credere; deinde ut possit unquam *νεὼς* vox ita usurpari. Deli certe thesauri ab exteris civitatibus exstructi *οἶκοι* appellabantur, ut scimus fuisse *Ναξίων οἶκον*[80]) et, liberae reipublicae tempore, *Ἀνδρίων*, qui in traditionum laterculis saepissime occurrit.[81]) Sin autem haec sunt templa intellegenda, cur dei, cui consecrata erant, nomen non additur? Quod nullo modo omitti potuit, nisi fanum ei deo dicatum erat, qui a civitate praeter ceteros colebatur, ut Athenis *ὁ νεὼς* appellabatur Parthenon, quem nos dicere consuevimus, solus, Deli autem templum Apollinis antea *τὸ ἱερὸν* nominatum esse constat ex amphictyonum rationibus Glaucippo archonte scriptis.[82]) Atque ex hac ipsa re, quod simpliciter *τὸ ἱερὸν* appellabatur dei nomine non addito, unicum illud tum fuisse perspicuum est, cum nostri tituli tempore iam duo templa exstarent. Quorum alterum inter Glaucippi et Timocratis annum (410—364) aedificatum esse pro certo haberi potest, idque optime quadrat ad ea, quae de hoc recentiore templo aliunde cognita habemus.

Firmatur haec mea de *νεὼ* voce opinio, si cogitamus thesaurum etiam post libertatem a Deliis recuperatam vix possessoribus eripi potuisse, in rationibus autem illius temporis non modo Atheniensium, sed ne Deliorum quidem thesauri ullum apparere vesti-

80) C. I. A. II, 827; Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 320. 81) Cfr. inventarium Demare archonte perscriptum, lin. 155 et Homollii ad illud commentarium: Bull. d. Corr. Hell. VI, 100. 82) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 283.

gium; templi vero nomen fieri poterat ut ob Atheniensium odium immutaretur, quo facto non iam necesse erat alterum Deliorum nomine addito distingui. Videtur igitur in rationibus liberae reipublicae tempore conscriptis hoc (*Δηλίων νεώς*) simpliciter esse appellatum *ὁ ναὸς τοῦ Ἀπόλλωνος*, illud vero, »Atheniensium« quod olim dicebatur, latere sub nomine fani, »ubi septem sunt simulacra« (*οὗ τὰ ἑπτὰ ἀγάλματα*). Demare quidem archonte ex iis rebus, quae quarto saeculo asservabantur in Atheniensium fano, reperimus ibi coronas tantum a Nicia et Autocle Atheniensibus dicatas,[83]) reliquae neque hic neque alibi commemorantur, sed dicit Homollius et Hypsocle (a. 279) et Charila (a. 269) et Sosisthene (a. 250) etiam archontibus esse eodem loco mentionem factam coronarum unius et viginti, quas a pentetericis illis, maximo fani Atheniensium ornamento, diversas non fuisse idem demonstravit collatis tertiae, quartae, septimae, octavae, decimae, undecimae, quartaedecimae et quintaedecimae ponderibus, quae in Hypsoclis archontis rationibus sunt perscripta, cum illis, quae eisdem in titulis amphictyonicis tribuuntur;[84]) denique in eisdem Hypsoclis rationibus numeratas esse apparet phialas illas ab Euthydico Dioclis f. Atheniensi et a Tauromenitanis dicatas aliasque tres non ponderatas (*ἄστατοι*),[85]) quae in nostro quidem titulo (Timocrate archonte) nondum commemorantur, in inventariis autem amphictyonicis Euaeneto archonte scriptis exstant et in templo Atheniensium collocatae dicuntur.[86])

At dubitationem illud movet, quod in nostro titulo nullum invenitur vestigium coronarum, quas e posterioris temporis rationibus novimus dicatas esse a Lysandro Lacedaemonio et Pharace nauarcho et asservatas in magno Apollinis fano: si igitur recte se habet sententia mea, debent exstare perscriptae in »Deliorum templi« inventariis. Atque exstant, sed ita, ut omissa sint donatorum nomina, cuius rei causa ad intellegendum non est difficilis. Primam inveni Pharacis coronam, quae in rationibus Demaris archontis tali modo describitur: *στέφανον χρυσοῦν δάφνης, Φάρακος ἀνάθεμα ὁλ(κή)* ⊢ΔΔΔΗ⊢,[87]) Hypsocle archonte eadem quinquaginta esse

[83]) Demar. invent. lin. 177—78: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 48.
[84]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 151.
[85]) Hypsocl. rat. ined. lin. 103—4.
[86]) C. I. A. II, 824, lin. 5—7.
[87]) Demar. inv. lin. 12: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 30.

drachmarum dicitur,[88]) in nostro denique titulo tertio loco exstat tali modo descripta: *στέφανος χρυσοῦς δάφνης· σταθμὸν ἄγει* 𐅄Γ⊢⊢⊢[89]). Pondus autem saeculo interiecto 8 drachmis imminutum esse non est, quod miremur, cum intra alterum saeculum viginti drachmas eam amisisse constet. Simili ratione ductus coronam lauream a Lysandro dicatam, quae Demaris tempore iam evanuerat, sed in Hypsoclis etiam anni rationibus exstat, ubi viginti octo drachmarum dicitur,[90]) non dubitavi eandem putare atque illam, quae in titulo nostro *στέφανος χρυσοῦς δάφνης* appellatur et triginta drachmarum quattuor obolorum pondus habere dicitur.[91]) Difficilius fuit Lysandri coronam maiorem indagare, quae in Demaris rationibus quernea dicitur,[92]) cum in amphictyonum traditionibus huiusmodi nulla commemoretur; sed ex Homollii commentario discimus errasse hic hieropoeos in perscribendo inventario, cum ex aliis traditionum laterculis duobus (Hypsoclis, deinde Charilae archontis) nondum publici iuris factis appareat fuisse Lysandri coronam non querneis, sed pampineis foliis ornatam;[93]) atque huiusmodi coronae mentio fit in nostro titulo primo loco in templo Deliorum asservatae[94]), neque eandem putare dubito, quamvis hic nonaginta drachmas habeat, tempore vero Demaris archontis sexaginta tantum tres: quatuor enim inventariis collatis demonstravit Homollius eam leviorem levioremque factam,[95]) unde apparet non satis eam integram fuisse, ut facile potuerit tertiam partem ponderis per duo saecula amittere, quemadmodum aliam vidimus viginti annis a quadraginta quatuor drachmis usque ad undeviginti pondus devenisse[96]) atque eadem ratione Pharacis coronam esse imminutam.

Sententia mea mihi firmari videtur ea re, quod Lysandri coronae duae primum secundumque locum tenent, Pharacis autem tertium. Nam cum e traditionum tabulis Minervae quaestorum scimus Athenienses in templorum inventariis perscribendis ordinem secutos esse non loci, quo in aedibus res asservarentur, sed tem-

---

88) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 153. 89) Timocrat. rat. lin. 120—21. 90) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 153. 91) Timocrat. rat. lin. 120. 92) Demar. inv. lin. 7—8: Bull d. Corr. Hell. VI, p. 30. 93) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 137, not. 1. 94) Timocrat. rat. lin. 119—20. 95) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 138. 96) Ibid. p. 139, not. 3.

poris, quo singulae essent dicatae, tum Pharacem coronam suam Apollini consecrasse post Lysandrum si non certa ratione demonstrari, at cum magna probabilitatis specie inde conici licet, quod post eum nauarchus cum classe in Aegaeo mari versatus est, ut iam suo loco diximus. Quae si recte disputata sunt, e tituli nostri verbis credo satis certe colligi posse, quo tempore aedis dei recentissima atque pulcherrima, exstructa sit. Cum enim cognitum habeamus Glaucippo etiam archonte unum modo fanum Apollinis fuisse sitque verisimillimum ducum Lacedaemoniorum dona, ut primo loco in novi templi inventariis afferuntur, ita prima quoque esse dicata, facilis est coniectura »Deliorum templum« esse exstructum ante annum certe 394, quo Lysander proelio ad Haliartum commisso est interfectus, vel potius, ut mea est sententia, ante annum 397, quo Pharax classi praefuit, sed non ita multo ante: inter annum igitur 402, quo Delus Atheniensibus erepta est, et 397 credo confectum esse magnum Apollinis fanum, quod postea *ὁ ναὸς Ἀπόλλωνος* dictum est *κατ' ἐξοχήν*; quando vero aedificari coeptum sit, explorari nullo modo potest, sed non magnopere errare mihi videor, si non ante Niciae pacem (421) hoc factum statuo. Neque obstare videntur, quae sunt inventa fastigii ornamenta statuaria: quin etiam eorum indole accuratissime examinata Furtwaengler similem protulit de tempore, quo confecta sunt, sententiam [97])

Sed aliud est, quod maiore cum specie contra opinionem meam proferri possit: e sedecim enim inventariorum fragmentis conservatis cum maiora septem ad verbum fere cum titulo nostro consentiant, nisi quod nova dona addita sunt,[98]) tria vero tam sint mutila, ut de iis nihil certi dici possit,[99]) sex reliqua primo aspectu ita differunt, ut ad aliud inventariorum genus pertinere videantur, quo quis credere possit esse perscripta dona in magno Apollinis fano asservata. Quorum quattuor, inter se simillima, infra erunt examinanda; hic de duobus disseram, ubi *φιάλαι* commemorentur per ordines (*ῥυμοί*) dispositae. Atque alterum frustulum[100]) quin ad Dianae templi inventaria sit referendum, nemo dubitare potest

[97]) Archäolog. Zeit. 1882, p. 335. [98]) C. I. A. II, 813, 816—18, 820, 824; Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 299—302. [99]) C. I. A. II, 819, 823; Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 319—20. [100]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 315.

collatis quae in eo servata sunt inde a linea decima — praecedunt unius versus spatio vacuo relicto pecuniarum dei rationes amphictyonicae — cum inventarii Timocrate archonte perscripti lineis 10—20: ipsum enim Leostratidis donatoris nomen, quod utroque loco in enumeratione quinti ordinis vasculorum occurrit, ut rarissimum sufficit ad dubitationes omnes tollendas, cum reliqua omnia sint simillima.

Aliter res se habet de fragmento secundo,[101]) ubi phialae quaedam *μιλησιουργεῖς* commemorantur: in titulis enim amphictyonicis nusquam vasa huiusmodi inveniuntur; sed cum inventariorum Dianae templi praeter integrum unum duo tantummodo exstent fragmenta, unum, quod modo tractavimus, et alterum, in quo tota illa, ubi phialae per ordines dispositae recenseri solent, pars intercidit, quis negare audeat potuisse posteriore tempore per decem amplius Olympiades in phialarum harum numerum quasdam recipi *μιλησιουργῶν* nomine designatas? Nulla certe est causa, cur ad deperditum potius quoddam inventarium Apollinis templi, a nostris diversum, referatur. Quattuor autem alia fragmenta iam supra dixi inter se simillima esse,[102]) cum in omnibus res eaedem recenseantur: *τριήρους ἔμβολον*, *κρατὴρ τριηρετικὸς*, ... *στύππινα II*, *ἱμάντες* et alia huiusmodi supellex, neque dubitare licet, quin sint referenda ad eiusdem thesauri inventaria, qui in duobus nominatim appellatur: *ἐν Ναξίων οἴκῳ*. Cuius thesauri quod Timocrate archonte nulla fit mentio, putandum est eum aut nondum institutum fuisse aut postea usurpari coeptum esse ad asservandas res minoris pretii, cum crescentibus in dies Apollinis divitiis locus in templo non sufficeret. Huic ipsi usui liberae reipublicae tempore scimus servisse Chalcothecen, quam quamquam nihil obstat quominus iam sub Atheniensium dominatione statuamus esse aedificatam, verisimilius tamen videtur esse institutam ad magnum templum, regum diadochorum, qui appellantur, donis locupletatum, levandum mole rerum aenearum; postea in Chalcothecae locum successisse constat *πώρινον* primum *οἶκον*, deinde *Ἀνδρίων οἶκον*,[103]) ubi in inventariis Demare archonte perscriptis et *νεὼς ἔμβολον* et

---

[101]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 316. [102]) C. I. A. II, 825—827; Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 320—323. [103]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 100.

ἄγκυρα σιδηρᾶ et *λέβης κατεαγώς* recensentur,[104]) quae omnia eodem modo in nostris quoque fragmentis quattuor occurrunt in *Ναξίων οἴκῳ*. Neque hic thesaurus post eversum Atheniensium imperium quamvis perraro nominetur, prorsus evanuit; ex Agatharchi enim archontis inventario cognoscimus fuisse ibi asservata tigilla quernea, ut tempore Charilae archontis in Deliorum *οἴκῳ*,[105]) quem cave confundas cum templo Deliorum: non enim thesaurus erat, quem iam dixi nullum unquam populum suo ipsius fano adiunxisse (si locus rebus aureis argenteisque in templo non sufficiebat, aliud maius aedificari solebat), sed armamentarium, in quo instrumentum ad aedificia sarcienda necessarium servabatur — in templo videmus magni pretii coronas asservatas, in *Δηλίων οἴκῳ* — tigilla tantum. Naxiorum vero et Andriorum *οἶκοι* — nam hunc quoque iam ante liberae reipublicae tempus aedificatum credo — vere videntur thesauri fuisse, ab illis ipsis civitatibus, a quibus nomina habebant, dicati deo Delio ad asservanda eorum dona tempore illo, quo Athenienses panegyrim Deliacam ad similitudinem amphictyoniae Pythiae aut primum quinto saeculo constituere aut quarto denuo redintegrare conati sunt; sed postquam vel illorum regnandi cupiditate vel parvarum civitatum invidia atque ignavia (officiis enim Atheniensium uti omnes cupiebant, pecuniis eos adiuvare aut labores sustinere pro causa communi minus placebat) factum est, ut legati earum e concilio amphictyonico decederent atque tota rerum Apollinis administratio ad Athenienses solos deveniret, non iam sociorum intererat templum, cuius participes non essent, suis donis ornare et locupletare; vacuos igitur fere credo mansisse thesauros hos, dum fanorum administratores (amphictyones primum attici, deinde hieropoei Deliaci) angustiis locorum coacti iis pro armamentariis uti coeperunt, in quibus res aeneas aliasque, ut vidimus, minoris pretii deponerent.[106])

---

104) Demar. inv. lin. 167, 168, 170: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 47.

105) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 88, not. 1.

106) In illis amphictyonum inventariorum fragmentis, ubi *Ναξίων οἴκου* fit mentio, commemoratur etiam *νεωκόριον* (C. I. A. II, 827, lin. 9; appellatur etiam in frustulo ab Homollio publici iuris facto: Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 320), domus antistitum, quos iam Glaucippi archontis anno invenimus appellatos; ibidem videmus Aphroditae, quam in insula

Sed ut ad templa Delia revertar, maxima documenta duo, quibus confirmatur sententia mea de Ἀθηναίων et Δηλίων νεῴ prolata, usque ad finem disputationis reservavi: primum verisimile non est Athenienses coronas illas pentetericas usquam alibi consecrasse nisi in templo dei, cuius ἀριστεῖα dicebantur; deinde antiquissimis hieropoeorum deliacorum inventariis cum amphictyonicis collatis, videmus templa in iis enumerari eodem ordine, nisi quod Deliorum delubrum (quod ναὸς Ἀπόλλωνος simpliciter appellatur) praeponitur Atheniensium fano, cui propter odium eorum non solum nomen immutatum est (ναὸς οὗ τὰ ἑπτὰ ἀγάλματα), sed etiam paulatim omnis fere supellex sacra ablata. Credo igitur opinionem meam tantum habere fidei, quantum in rebus huiusmodi assequi possumus.[107])

Neque solum ad quaestionem, quo tempore novissimum fanum Deliacum exstructum sit, illustrandam haec demonstrare intererat: nunc, cum cognitum habemus in amphictyonum atticorum inventario, Timocrate archonte lapidi inciso, exstare perscripta omnia dona, quotquot asservabantur in magnis templis deliacis omnibus, operae pretium est quaerere, quantum auri argentique pondus, quantae fuerint medio saeculo quarto divitiae Latoidarum. Ut a Dianae templo secundum ordinem legitimum ordiar, primum sunt perscriptae phialae 549 per quattuor ordines dispositae vasculaque varia, quae quintum tenebant ordinem, quibus maximi ponderis crater additur — haec omnia efficiunt decem talenta 5286 dr., quae habenda esse pro acgineticis verba quae sequuntur: τάδε πρὸς ἀργύριον ἐστάθη[108]) declarant, unde apparet omnia, quae antecedunt, non ad argentum pensa esse; quoniam vero 100 drachmae aegineticae pares sunt $138^7/_8$ atticis, summam habemus circa 15 atticorum talentum 666 drachmarum. In iis, quae deinceps se-

scimus antiquitus cultam, nomen exstare perscriptum, sed e verbis misere mutilatis ne id quidem intellegere licet, fueritne eius templum appellatum, quod mihi non admodum verisimile videtur; nam nusquam in aliis inventariis fit eius mentio ne minima quidem, vel fortuito tantum commemoratur, cum vascula quaedam ἐξ Ἀφροδισίου dicuntur in magnum templum translata, cuius generis e Scylaci archontis deliaci rationibus exemplum attulit Homollius: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 87, not. 1.

[107]) Postquam haec iam perscripsi, eandem sententiam inveni protulisse, nullis ceterum argumentis allatis, iam Homollium: »Archives de l'Intendance sacrée à Délos« p. 26, not. 6. [108]) Timocrat. rat. lin. 20.

quuntur (quantum quidem pondus perscriptum est) res argento factae — exceptis eis, ubi aes admixtum dicitur, sed adnumeratis, quae inaurata sunt, (ὑπάργυροι) — non multo amplius quam 3 talenta 4809 dr. attic. efficiunt, ut totius argenti in hoc templo asservati copia exaequet 18 talenta 5475 drachmas. Auri vero pondus, quod quidem nobis notum sit, est fere 8440 dr., quae pares sunt (pretium enim auri supra vidimus hoc tempore undecim fere partibus maius fuisse quam argenti) atticis talentis 15 drachmis 2843 argenteis. Tota igitur Dianae templi supellex et aurea et argentea efficit ad 34 tal. 2318 dr. In Apollinis fano Atheniensium dona magna Niciae, Calliae, Autoclis aliorumque non sunt pensa, duodecim autem coronae pentetericae 977 dr. $4^1/_2$ ob. pendent, ut earum pretium par sit 1 tal. 4755 dr. arg. Ὁ Δηλίων νεὼς praeter maximam aeris copiam quinque tantum coronas aureas, in his eas, quae a Lysandro et Pharace sunt donatae, et monile unum continet: aurum totum 340 dr. 1 ob. non amplius efficit vel argenti 3742 drachmas atticas. Quae omnia si in unum coniungimus, habemus summam 36 talentum 4815 drachmarum argenti attici; si vero reputamus hac summa neque multa illa dona ἄστατα contineri neque ullas alias res praeter auro argentove factas, ne nummos quidem varios, minime falli mihi videor, si totam deorum rem in tribus his templis asservatam Timocrate archonte non minorem fuisse quadraginta argenti talentis statuo. Addo tabulam, qua tota haec computatio magis fiat perspicua.

Templum Dianae:

phialae argenteae — 10 tal. 5286 dr. aeginetic. =	15 tal. 666 dr. att.
reliqua supellex argentea	3 tal. 4809 dr.
donorum aureorum pondus 1 tal. 2440 dr. $1^1/_2$ ob. =	15 tal. 2843 dr.
Summa =	34 tal. 2318 dr.
Ὁ νεὼς Ἀθηναίων: auri pondus — 977 dr. $4^1/_2$ ob., cuius pretium . . . . =	1 tal. 4755 dr.
Ὁ νεὼς Δηλίων: auri pondus — 340 dr. 1 ob., cuius pretium . . . . =	3748 dr.
Ἀναθήματα omnia, quae quidem sint pensa, complent pretium	36 tal. 4815 dr. att.

vel additis omnibus, quae ἄστατα aut ex aere facta sunt, tota supellex sacra aestimanda est certe non minoris quam 40 talentum.

Post Timocratem archontem denuo per viginti fere annos nulla nobis exstant documenta ad Deli historiam illustrandam praeter rationum amphictyonicarum et inventariorum pauca quaedam fragmenta, quibus non multum proficimus. Hoc tempore cum Atheniensium opes bello cum sociis, deinde cum Philippo Macedonum rege gesto vehementer afflictae essent, visa est Deliis templi sui recuperandi spes denuo oblata esse; itaque statim post Philocrateam, quae dicitur, pacem factam, cum Macedonum rex iam praesideret concilio amphictyoniae Pythiae, legatione Delphos missa insulam suam in libertatem vindicare conati sunt. Athenienses autem primo Aeschinem, prohibente vero Areopago, cui fides eius suspecta erat, Hyperidem oratorem publicum elegerunt, qui in concilio Delphico causam patriae defenderet ac demonstraret ius templi administrandi antiquitus penes Athenienses esse.[109]) Qua de oratione cum iam doctissime disputarit Boeckhius,[110]) nihil verbis eius addere neque possum neque volo, praesertim cum persuasum habeam, ut Athenienses in διαδικασίᾳ vincerent, factum esse non tam Hyperidis eloquentia quam Philippi amphictyonum principis auctoritate, ad cuius rationes ac consilia minime intererat, quas modo pace cum Atheniensibus facta, ut aliis vacaret negotiis, composuerat, inimicitias denuo conflari insula ab eis abiudicata, quam praesertim, si retinerent, non multum iis potentiae adferre videret; praeterea libertatem Deliorum pronuntiari facilius quam defendi intellegebat, cum classis Macedonica Atheniensibus minime etiam par esset. Legati igitur Delii infecta re Delphis redire coacti sunt.

Quam vehemens in ipsa insula fuerit partium Atheniensibus et faventium et adversantium contentio, conicere licet e decreto quodam populi attici, quod scripturae testimonio nixus ad medium fere saeculum quartum rettulit Koehler:[111]) maximi honores conferuntur in Peisitheiden Peisitheidis filium Delium, qui ob amicitiam videlicet erga Athenienses paene interfectus, deinde ab inimicis in exilium pulsus erat: et ipse civitate donatur et quicunque eum

---

[109]) Demosthen. de Coron. p. 271. [110]) Erklärung einer attischen Urkunde über das Vermögen des apollin. Heiligth.: Kl. Schr. B. V. § 5—7. Cfr. etiam Sauppe Orator. attic. II, p. 285 et Winiewski de Dem. orat. de cor. p. 138. [111]) C. I. A. II, 115ᵇ.

interfecisset, hostis iudicatur populi Atheniensium et quaestor publicus iubetur ei quotidie ad victum comparandum drachmam pendere, dum in patriam rediisset. Honoribus igitur et beneficiis Athenienses ornant hominem; quod ipsi eum non restituunt vel invitis Deliis, magnum sane videtur argumentum contra opinionem eorum, qui quanta illi in socios usi sint libidine atque superbia, non satis possunt conqueri atque lamentari.

Supra dixi a Philippo rege et concilio Delphico non fuisse abiudicatam Atheniensibus administrationem templi Delii: a scriptoribus quidem nihil de hac re est traditum, sed exstant rationes quaedam amphictyonum atticorum posteriore tempore conscriptae. Huc refero titulos duo lapidi incisos Archia archonte, i. e. eo ipso anno, quo illam Deliorum cum Atheniensibus contentionem diiudicatam verisimillimum videtur: unum, ubi de litibus quibusdam agitur, alterum rationes pecuniarum ordinarias continentem;[112]) sequuntur deinceps traditiones amphictyonum Sosigene archonte (Ol. 109, 3 = 342/41) munus obeuntium[113]) et *ἀναθήματος* titulus eorum, qui magistratu functi sunt anno insequenti Nicomachi archontis (Ol. 109, 4 = 341/40).[114]) De rationibus. quas eisdem tribuit Homollius unius patronymico [*Να*]*ομιάδου* confisus,[115]) vehementer dubito, cum in restituendo titulo non solum necesse sit (quod vir doctissimus iam ipse vidit) in linea tertia octoginta octo. in quarta vero septuaginta tres tantum litteras statuere, sed etiam formula, quam in initio posuit: *Τάδε ἔπραξα*[*ν Ἀθηναίων ἀμφικτύονες ἀπὸ Νικομάχου ἄρχοντος μέχρι τοῦ δεῖνος ἄρχον*]*τος Ἀθήν*[*ησιν ἐν Δήλῳ δὲ ἀπὸ — — — — — — μέχρι τοῦ δεῖνος ἄρχοντος*], e marmore Sandwicensi desumptam, in reliquis non inveniatur neque sit probabilis, quoniam amphictyonum munus, ut iam vidimus, annuum fuit; nihilo minus pro certo habeo eas ad alteram saeculi quarti partem esse referendas. cum iam non sint *στοιχηδὸν* exaratae. Ultimum locum obtinet traditionis laterculus, quem propter viginti ibi commemoratas coronas pneteterіcas et Euaeneti archontis ut superioris mentionem factam recte Koehler ad Ctesiclis annum (Ol. 111, 3 = 334/33)

---

112) C. I. A. II, 322 et Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 293—294.
113) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 299. 114) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 294. 115) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 296—298.

rettulit.[116]) Difficilius est iudicare de alio huius temporis documento, quo aedificia quaedam sarcienda collocantur:[117]) in hoc enim exstat nomen Hieromnemonis cuiusdam Tisimachi filii e Coele demo; qui si idem sit atque vir huius nominis et demi, qui Euthio archonte (Ol. 124, 1 = 284) in proedrorum numero fuit,[118]), titulus vix possit superior esse olympiade 116, sed potest avus eius esse secundum notissimam graecorum consuetudinem nepotem avi nomine appellandi.

Iam in examinandis titulis deliacis rarisque scriptorum locis ad exitum fere saeculi quarti pervenimus, quo constat Delios in possessionem rediisse templorum suorum: de ipso anno, quo hoc factum est, adhuc ambigitur. Homollius quidem in libro luculentissimo, quem de hieropoeis deliacis conscripsit, satis speciosis rationibus probare studuit, fuisse annum secundum Ol. 116 (= 315),[119]) sed non persuasit. Neque temere mihi videor aut viri doctissimi sententiam impugnare, qui in hac quidem causa nescio an minus cautus fuerit quam solet, aut sic statuere, quo tempore Athenienses templorum deliacorum administrationem amiserint, quae nunc quidem nostra de huius aetatis rebus notio sit, certius definiri non posse, nisi ita, ut factum hoc esse dicamus non ante Demetrii Phalerei rei publicae Atheniensis procurationem. Ac primum quidem non possum assentiri Homollio, dicenti e viginti et unius coronarum penteterricarum numero[120]) apparere Delia ultimum celebrata esse Olympiade 112: fugit enim virum doctum (an hic titulus ei nondum notus erat?) praeter has coronas, quae in pariete pependerunt, unam fuisse eamque primam dicatam *πρὸς τῆς Λητοῦς ἀγάλματι.*[121]) quam statuae deae detractam et item muro affixam esse vix credibile est; universae igitur coronae cum fuerint viginti et duae, perspicitur ultimam esse dicatam Ol. 113, ut mea est sententia, secundo anno (= 326). Proximos autem ludos quinquennales iam non celebratos esse propter iniqua belli Lamiaci tem-

---

[116]) C. I. A. II, 824 = Boeckh, Staatshaush. d. Athen. II ³, p. 286 sqq.

[117]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 323.

[118]) C. I. A. II, 314.

[119]) Archives de l'Intendance sacrée à Délos, p. 26 sqq.: »de la durée de l'existence indépendante de Délos.«

[120]) Tot exstant numeratae in Charil. arch. inv. ined. lin. 57.

[121]) Timocrat. arch. inv. lin. 108: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 465.

pora et timorem classis Macedonicae admodum probabile est; postea vero fieri potuit, ut (secundum Homollii sententiam) ludi redintegrarentur, sed coronae penteterieae propter exhaustum aerarium publicum dicarentur nullae: hoc mihi colligendum esse videtur e titulo a militibus atticis in honorem Demetrii Phalerei lapidi inciso, quo ille Deliis curru victoria potitus esse dicitur.[122]) Quam cum ad Ol. 113 referri nullo modo liceat neque per aetatem hominis neque per rei familiaris condicionem, qua tum usus est, quae talis certe non fuit, ut equos magni pretii alere posset, sumamus necesse est eam partam esse Ol. 115 vel, quod verisimilius videtur, 116, quo tempore iam ἐπιμελητὴς erat civitatis a Cassandro institutus. Quae si recte disputata sunt, iam terminum habemus posteriorem illo ab Homollio constituto. Quid quod ipse documenta tria attulit, quae opinioni eius adversari videntur? Primum est illud, de quo iam supra dixi, ubi exstat Hieromnemonis Tisimachi f. Coelensis nomen,[123]) quem proedrum opinatur fuisse Euthio archonte. Quod autem dixit viginti annorum spatium non esse longius, quam per quod homo in rebus publicis versatus esse posset, memoria, credo, vir doctissimus lapsus est — triginta enim anni vel amplius erant statuendi (inter 315 et 284). Sed hoc minoris pendo ob eamque causam titulum iam antea commemoravi, cum dicerem Hieromnemonem hunc fortasse alterius avum fuisse; praeterea nihil obstat, quominus per septuaginta amplius annos eum vixisse credamus. Item de Bodmilca, principe legationis Carthaginiensis, auxilium et Atheniensium et Ptolemaei contra Agathoclem (anno fere 308) implorantis, cuius nomen cum in decreto attico,[124]) tum in inventariis deliacis[125]) scriptum legitur, Homollio prorsus adsentior, hac

---

[122]) Rhangabé, Antiq. Hellen. 1079. Contendit quidem Koehler vir harum rerum peritissimus pertinere hos ludos ad Delion oppidum in Boeotia situm; sed de ludis ibi actis nihil, quantum scio, est memoriae traditum: in errorem, credo, inductus est vir doctissimus Hermaeorum quorundam mentione in eodem titulo facta, quae celeberrima illa Tanagraea esse sibi persuasit; at sollemnia huius nominis etiam Deli celebrata esse nuper e titulo adhuc inedito docuit Fougères (Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 121), si autem hoc minus placet, habemus Hermaea etiam Salamine acta (C. I. A. II, 594, l. 7), ut intra Atheniensium imperium subsistere liceat. [123]) Cfr. not. 116. [124]) C. I. A. II, 235. [125]) Etiam in Demar. arch. inv.: lin. 10.

re demonstrari neganti insulam etiam in dicione Atheniensium illo anno fuisse. Aliter res se habet de titulo Philoclis regis Sidonii honorario, quo a populo Deliorum corona aurea ornatur et decernitur, ut sacrificia pro salute eius et Deli et Athenis deis fiant:[126]) nam cur Athenas potissimum eligerent, nisi inter eas Delumque arcta etiam necessitudo intercederet? Quod vero insulanorum mentio fit, accurate re perpensa mihi potius contra Homollii sententiam pugnare videtur; commemorantur enim tali modo, ut appareat Delum hoc tempore societatis eorum non iam fuisse participem, quoniam per Ptolemaeum tantum foederis huius fautorem pecunias eis mutuas datas recuperare conantur. Opinioni meae obstare videtur, quod corona Philoclis proclamari iubetur Apollineis, non Deliis, quae maxima fuerunt sollemnia, quamdiu permansit Atheniensium dominatio; sed iam supra probare conatus sum festum pentetericum solum esse appellatum Deliorum nomine, et facillime fieri potuit, ut hoc ipso anno Apollinea modo celebrarentur. Denique non verisimile est tempore Demetrii Phalerei Delios ab Atheniensibus defecisse, cum vix quemquam haberent, ad quem se applicarent: Aegaei enim maris principatus certe penes Ptolemaeum erat, Atheniensium socium et amicum; adversariorum autem eius Antigoni Demetriique partes si secuti essent, non sacrificassent Athenis neque a Ptolemaeo beneficiis ac donis essent ornati. Et si ultro iis Demetrius Phalereus (quae quidem videtur Homollii sententia) templa administranda reddidisset, cur tanto odio Delii memoriam Atheniensium prosecuti essent, ut templi eorum nomen etiam immutarent? Mea igitur opinio est templorum deliacorum administrationem usque ad Ol. 118, 1 penes Athenienses permansisse; sed unum pro certo affirmare audeo Homollium secutus neque multo post hunc annum neque ante Demetrii Phalerei tempora Delum libertatem suam recuperare potuisse.

Priusquam ad res liberae Deliorum reipublicae tractandas transeam, necesse videtur pauca illa brevi comprehendere, quae de institutis civitatis eorum tempore dominationis atticae cognita habemus. Atque vidimus rempublicam deliacam habuisse hos magistratus proprios: archontem annuum, cui summa rerum sine dubio mandata erat; hieropoeos quattuor, quorum erat sacrificia et maiora

---

[126]) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 327.

et minora (τὰ κατὰ μῆνα) facere et una cum amphictyonibus atticis dona in delubris posita asservare; denique epistaten, cuius munus certo modo definiri non potest, sed verisimillimum est eum adiuvantibus neocoris cultum templorum quotidianum ornatumque procurasse. Senatus habemus mentionem in titulo Timocrate archonte perscripto, ubi traditioni rerum sacrarum interfuisse dicitur, et in decreto in honorem Philoclis regis Sidoniorum facto. In quo cum etiam τοῦ δήμου fiat mentio, democratiam ad exemplar atheniensis fuisse Deli institutam pro certo habere possumus. Et ne cui videar nimium tribuere titulo, quem ad tempus dominationis atticae contra Homollii sententiam non sine dubitatione rettuli, exstat alterum populi Delii decretum nondum publici iuris factum,[127]) quod me certiorem fecit Homollius e scripturae testimonio (est enim στοιχηδὸν exaratum) necessario esse ad hoc tempus referendum. Titulus est honorarius: collaudatur Cephisodorus vel Dionysodorus quidam ob merita in populum Deliorum, decernitur ei corona aurea, proxenia, immunitas. Quam hoc discrepat ab opinione eorum, qui Delios ab Atheniensibus in servitutem prope redactos sibi et aliis persuadent! Libere contionantur de rebus suis, viris de civitate bene meritis gratias agunt et honoribus beneficiisque eos ornant, invisos contra cives in exilium eiciunt, neque Athenienses sua ipsorum causa eiectos restituunt, ut supra vidimus, vectigalia imponunt vel condonant suo arbitrio, qua re demonstratur habuisse eos etiam proprium aerarium publicum, cum nationibus exteris per legatos agunt et apud eas proxenos instituunt. Constat igitur Athenienses tantummodo templorum administrationem atque προεδρίαν ludorum vindicasse, ipsam vero rempublicam Deliorum liberam reliquisse, quantum quidem parva civitas cum magna foedere coniuncta libera esse potest.

---

[127]) Rapport sur une mission archéologique dans l'île de Délos, p. 26, nº 1.

IV.

Pervenimus nunc ad tempora civitatis Deliorum prosperrima, cum domi suis legibus magistratibusque utebatur, foris a potentissimo quoque colebatur regibus dynastisque eo ad festa legationes sacras mittentibus et dona cum ipsorum opibus tum dei gloria digna. Sed ne huic libertatis Graecorum specioso nomini nimium tribuamus, cavendum est. Auctores eius fuerant et Antigonus cum Demetrio filio et Ptolemaeus Lagi sociique eius non tam studio Graecorum ducti, quam ipsorum potentiae augendae gratia: liberos quam in adversarii sui potestate eos esse malebat unusquisque et libertatem iis concedebat ita, ut ea secundum sua ipsius consilia uterentur, et male abuti eos credebat, si suis commodis minus servirent minusque dicto essent audientes Testis misera Atheniensium fortuna! Parvae quidem civitates, nisi bella in eorum terra gerebantur, minus variis fortunae casibus affligebantur, cum e debilitate sua et potentium contemptu plus caperent securitatis quam civitates opibus pollentes, quippe quae, cum et nocendi et adiuvandi haberent maiorem potestatem, regum cupiditatem magis allicerent. Quae res Deli quoque insulae libertati quam maxime profuit. Quid enim his temporibus, quibus incredibilia atque immania modo admirationem haberent, cum uno die de magnorum saepe regnorum fortuna decerneretur, parvulam hanc insulam possidere vel templi pecunias in suum usum convertere regum, qui Europae, Asiae, Aegypti vix essent contenti opibus divitiisque, intererat? Denique post magna illa diadochorum, qui appellantur, bella initio saeculi tertii finita et constituta Macedoniae, Syriae, Aegypti regna mare Aegaeum, quasi in medio situm omnibusque commune praeter insulas quasdam singulis adiacentes, in nullius potestate fuisse videtur. Macedonum quidem reges sat habebant, si Graeciae ipsius civitates saepenumero devictas semperque rebellantes in dicione sua retinere possent; Asiae autem ingens regnum debilitabatur continuis bellis intestinis, provinciarum praefectis etiam atque etiam deficientibus; Ptolemaei denique id potissimum agebant, ut Phoenicum urbes maritimas sibi adiungerent Seleucidis repugnantibus. Quamquam Aegypti regum auctoritas toto mari Aegaeo erat maxima et ne post cladem illam quidem ad Coum insulam ab An-

tigono Gonata acceptam videtur magnopere esse imminuta. Atque arcta necessitudo, quae inter illos et insulanorum civitates intercedebat, vix poterat armis divelli, quia non armorum vi erat firmata, sed ipsorum commodis iuncta, cum celeberrimum illud Alexandriae emporium inter Occidentem et Orientem positum et mercium utriusque orbis terrarum partis arbiter tot alliceret undique mercatores, quot quondam aves convolasse dicuntur ad Mareotidis ripas ab omnibus coeli partibus, cum urbem conderet Alexander, futurae celebritatis augurium. Magnumque Ptolemaeorum auctoritatis adiumentum erat Rhodiorum praeter ceteros Aegaei maris insulanos potentia excellentium firma amicitia, quam post ipsam Alexandri mortem libertate recuperata cum Aegypti praefecto iunxerant neque deseruerunt diuturna illa obsidione et periculorum plena a Demetrio Poliorceta vexati integramque fere servarunt in variis fortunae casibus usque ad Graeciae a Romanis subactae tempora. Quamquam ne hac quidem amicitia adduci potuerunt, ut libertatem magnis laboribus partam ac summis periculis defensam omitterent, et Ptolemaei reges ea erant prudentia, ut fideles eos socios habere mallent quam libertate erepta eorum a se animos abalienare: immo iis ipsis auctoribus factum est, ut ad Rhodiorum societatem parvae illae insulae se applicarent, quibus mare Aegaeum est refertum, redintegrata quodammodo amphictyonia deliaca sub nomine τοῦ κοινοῦ τῶν νησιωτῶν.

Insularum vices per saeculum tertium persequi quamquam et a proposito meo alienum neque parvae operae negotium est, deficientibus praesertim scriptorum testimoniis, tamen facere non possum, quin quae de hac societate nota sunt, breviter hic exponam, quoniam Delus insula non solum ipsa eius particeps fuit, sed etiam Apollinis templum commune ut antea delubrum sociorum, ubi decreta concilii eorum ut proponi solebant, ita nunc inventa sunt. Est igitur, ut ita dicam, pietatis officium erga sacram Delum, ut, quae documenta ad nostram pervenerunt aetatem, eorum mentionem saltem faciamus in memoria eius perscrutanda: nihil enim de hac societate tradiderunt scriptores antiqui, pauca quaedam titulorum fragmenta antea aliis locis inventa sunt,[1]) maxima vero pars nuper

[1]) Exempla affero titulos C. I. G. 2272 ex Asia in Angliam deportatum et C. I. G. 2334 Teni inventum.

Deli eruta ab Homollio et Hauvettio inprimis publici iuris est facta.[2])

Inita est haec societas ab insulanis certe non ante Alexandri Magni mortem, quo tempore inter diadochorum simultates foederis illius antiqui, quod sub Atheniensium principatu bis ictum, bis ruptum eos per duo fere saecula defenderat et a latronum rapinis semper mare Aegaeum infestantium et ab exterarum civitatum inimicitiis, consuetudo effecit ut quaererent, ad quem se denuo applicarent libertatis insularum recuperandae et pacis tuendae causa: *ὅπως ἐῶσι τοὺς Ἕλληνας ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους ἡσυχίαν ἄγειν τὴν χώραν ἔχοντες ἐν βεβαίῳ τὴν ἑαυτῶν*, ut scriptum legitur in documento notissimo, quo foedus attico-deliacum alterum Nausinico archonte pactum est.[3]) Atheniensium autem viribus longinqua, quam contra Macedonum principatum sustinuerant contentione exhaustis, nulla iam erat civitas classe satis potens eaque libera ac nullius regis dicioni obnoxia, unde auxilium praesidiumque multis undique imminentibus periculis sperarent, praeter Rhodiorum rempublicam, cuius potentiae et gloriae magnus accesserat cumulus libertate contra Demetrii arma fortunamque defensa. Et quod hi a duce illo clarissimo flagitare ausi sunt nullis eius minis deterriti et impetrarunt diuturna obsidione non fracti, ut liceret sibi omnium regum pariter amicos esse nulliusque societate tali modo obstringi, ut contra adversarios eius arma ferrent alienisque commodis inservientes suis ipsorum rebus damnum afferrent ac detrimentum — id ipsum ceterae quoque Aegaei maris civitates sibi ut optimam proposuerant rei gerendae rationem omnique studio expetebant.

Sed utrum iam ante illam obsidionem aliquot insulae Rhodiorum partes secutae sint, an inter se tantum parvulae quaedam civitates, inprimis illae in Cycladibus sitae societatem iunxerint, dignosci vix potest neque multum interest, cum pro certo affirmare liceat ante hoc tempus paucas admodum urbes societatis participes

---

[2]) Homolle »la confédération des Cyclades au III siècle av. J. Chr.«: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 320 sqq. Hauvette-Besnault »Inscriptions de Délos«: Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 5 sqq. Durrbach »Décrets du III et II siècles trouvés à Délos«: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 102 sqq.

[3]) C. I. A. II, 17. lin. 9—12.

fuisse et post annum 306 τὸ κοινὸν tali modo augeri coeptum esse, ut quasi de integro institutum videri posset. Iam ante annum 306 fuisse quandam insulanorum societatem adducor documento non satis illo quidem perspicuo et eo ipso, qui huc pertinet, loco temporis iniuria pessumdato: decretum illud dico, quod iam supra commemoravi, quo honores summi ab Deliis in Philoclem conferuntur Sidoniorum regem.[4]) Scriptum est in hoc titulo insulanos pecunias quasdam a Deliis mutuas sumptas non ultro reddidisse, Delios autem per Philoclem, cui hoc munus a Ptolemaeo esset mandatum, impetrasse, ut sibi debita solverentur. Supra iam dixi videri et insulanorum κοινὸν constitutum esse hoc tempore et Delios nondum eius participes, sed potius cum Athenarum civitate etiam necessitudine quadam coniunctos fuisse. Atque societatem illam non ita multo ante conditam iam tum Cycladum insularum partem comprehendisse inde colligi potest, quod pecuniae illae, quae ab insulanis exiguntur, nullae aliae esse possunt, nisi quas saepenumero scimus ex aerario Apollinis sacro per administrationis atticae tempora sumptas mutuas, debitores vero non sunt nobis cogniti praeter Cycladum incolas nisi Carystii et Icarii. Sed his non multum proficimus, nisi quo tempore titulus lapidi incisus sit, investigamus, et dolendum sane est, quod lacuna hausta sunt, quae ante Ptolemaei nomen in lapide exstabant verba, ut scire non liceat, utrum regio fuerit nomine appellatus necne. Mihi quidem quae verisimillima videntur, haec sunt: quoniam ex ipso titulo patet rerum statum eiusmodi fuisse, ut liceret Deliis et ab Aegypti praefecto auxilium petere et Atheniensium officiis uti, vix aliud tempus magis idoneum inveniri potest quam Demetrii Phalerei ἐπιμέλεια quae dicitur Athenarum, cum et haec civitas Cassandro subdita et Delus necessitudine etiam quadam (ut caute dicam) cum ea coniuncta a Ptolemaei partibus starent Antigono Demetrioque ambae infensae; vix enim ac ne vix quidem post Athenas a Demetrio Poliorceta liberatas licuisset Ptolemaei amicis sacrificia in arce Atheniensi facere eaque pro salute regis Sidonii Antigono filioque eius inimicissimi, neque prius immutatus est hic rerum status, quam anno Diotimi archontis (287) Athenienses Olympiodoro duce praesidium Demetrii, in Musaeo collocatum, expulissent

[4]) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 327.

et libertatem recuperassent, id quod factum esse constat sub finem Ptolemaei Soteris regni. Eadem cogitatione ductus Homollius, qui olim, cum titulum publici iuris faceret, Ptolemaei Philadelphi aetati eum assignabat, nunc inter annos 315—308 dicit lapidi esse incisum.[5]) Supervacaneum sane esset monere Ptolemaeum tum regio nomine neque usum esse neque in titulo appellari potuisse, nisi Dittenbergerus solito minus cautus in lacuna *βασιλεὺς* vocem supplevisset.[6]) Arctioribus igitur finibus tempus, quo insulanorum societas constituta est, vix circumscribi potest, quam ut post mortem Alexandri et ante Athenas a Demetrio captas hoc factum dicamus.

Neque magis diiudicare audeo, utrum Ptolemaeus vel Rhodii foederis huius auctores fuerint, an civitates minores societate primum inter se iuncta postea ad Rhodiorum potentiam se applicaverint (quod mihi quidem verisimilius videtur). Hoc quidem certum est Rhodios post bellum cum Demetrio compositum et principatum societatis insulanorum facile obtinuisse et eam ipsam ad maiorem existimationem provexisse. Rhodiosque foederis principes dico, non Ptolemaeum (quae est Homollii sententia), quia nusquam apparet hunc tantum apud socios valuisse auctoritate, quantum quondam Athenienses in amphictyonia deliaca, neque usquam fit mentio classis Aegytiae vel nauarchi regii, cum saepius et naves Rhodiae et duces eorum commemorentur; nec verisimile mihi videtur, si eadem fuisset insulanorum erga eum condicio atque tredecim civitatum ionicarum erga Asiae regem, Rhodios unquam ad hanc societatem accessuros fuisse, qua quodammodo sub imperium regis Aegyptii subiungerentur.

Habebant socii suum concilium, quod *συνέδριον* appellabatur *νησιωτῶν*,[7]) ad quod singulae civitates singulos minimum, fortasse plures mittebant legatos. Sed utrum illud per totum annum mu-

---

5) »Archives« etc. p. 40 sqq. Inutile mihi videtur disputare, quo tempore Phoenicia Ptolemaeo vel Sidon Philocli parere potuerit, cum certe non ut Sidoniorum rex iussus sit a Ptolemaeo pecunias Deliis debitas ab insulanis exigere, sed pateat eum exercitus parti praefuisse vel potius classi et nauarchi (quod nomen paullo infra in titulo occurrit) munere esse functum, quod et rex facere poterat et exul.

6) Syll. Inscr. Graec. I, n. 155. 7) Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 7 et passim.

nere sit functum an certis modo temporibus conventus fuerint, nescimus. Sedes concilii non Rhodus erat, sed insulae minores, Tenus et Delus potissimum, videntur eligi solitae, quo legati convenirent, ibidemque decreta insulanorum proponi statuaeque viris de communi causa bene meritis poni solebant, et Deli quidem ad templum Apollinis, Teni in Neptuni et Amphitritae τεμένει, cuius Strabo etiam mentionem fecit. Delus saepissime appellatur, Tenus in uno modo decreto in Timonis Syracusani honorem facto,[8]) qui exeunte saeculo tertio vel secundi initio fuit, ut ex alio titulo nuper invento innotuit:[9]) quo tempore Delum iam non fuisse societatis insulanorum consortem infra contra vulgarem sententiam demonstrabo. Itaque non temere mihi videor contendere Delum, quamdiu in foedere permaneret, solam fuisse concilii sociorum sedem Deliumque Apollinem societatis patronum solum. Atque concilii satis magnam fuisse auctoritatem videmus, si non in aliis rebus, at certe in honorandis viris bene meritis: non solum laudes et coronas iis decernunt, ut Thrasycli[10]) et Sostrato Cnidio[11]), ei qui pharum alexandrinum exstruxit, statuasque ut Ptolemaeo Philadelpho Aegypti regi[12]) eiusque nauarcho Callicrati Boisci f. Samio[13]) (iam e titulis Olympiae repertis noto), sed etiam civitate donant omnium, quae foederis participes sunt, insularum ceterisque honoribus, quibus singulae civitates ornant viros bene meritos: proxenia, immunitate, agri emundi iure, ludorum proedria, iure senatus populique adeundi πρώτοις μετὰ τὰ ἱερὰ, ut scribi solet. Haec discimus e titulis duobus, quorum unus iam Boeckhio erat notus[14]) ab eoque recte ad κοινὸν insulanorum referebatur, quamquam eorum nomen lacuna haustum erat, quia iubetur unum exemplar Deli in Apollinis templo proponi, alia in singulis urbibus, quae societatis participes sint. Sed verba πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, a quibus titulus orditur, tantam offensionem quondam Homollio dederunt, ut eum ad κοινὸν τῶν νησιωτῶν pertinere negaret, quia neque senatus neque contionis mentio quo spectaret, satis intellegeretur.[15]) Nunc credo virum doctissimum dubitationem ab-

---

[8]) C. I. G. 2334. [9]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 20.
[10]) Bull. d. Corr Hell. IV, p. 323. [11]) Ibid. VII, p. 5.
[12]) C. I. G. 2273. [13]) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 325.
[14]) C. I. G. 2272. [15]) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 321.

iecisse altero titulo ab Hauvettio invento simillimo,[16]) in quo diserte insulanorum σύνεδροι appellantur et plane perspicitur senatum contionemque intellegenda non insulanorum communia (quae certe nulla fuerunt), sed singularum civitatum propria. Videmus igitur maiorem habuisse concilium in socios singulos potestatem, quam unquam synedri Atheniensis societatis possederant, de quibus nihil huiusmodi memoriae traditum est. Etiam aliam rem non minoris fortasse momenti inde discimus: nam quod viris bene meritis una cum civitate omnium urbium foederatarum ius quoque permittitur agrum domumque in singulis civitatibus emendi, necesse mihi videtur insulanis ipsis licuisse in omnibus civitatibus foederatis eodem iure uti. Quod si verum est, quantum habuerit utilitatis ad commercium amplificandum, apparet, neque ullam de hac re dubitandi causam video, sed notam agnoscere mihi videor quandam eius aetatis, qua grassante in dies magis morbo, quem nos »Cosmopolitismus« appellamus, singulae civitates magis magisque illam curam et suspicionem exuebant, qua antea et terra sua et civium tabulis inquilinos solebant excludere. Synedros vero apparet pecunias quoque communes administrasse, quae certe antiquo more ab unaquaque civitate pro opibus eius exigebantur, ex quibus coronas aureas et statuas comparasse et decreta sua lapidibus incidenda curasse dicuntur. Atque memorabile puto, quod nulla fit mentio, pecuniam ex aerario erogare cuius fuerit, ut proprium munus quaestorium non fuisse,[17]) sed ex ipso synedrio electi per certum quoddam tempus, fortasse minus quam annuum, sociorum aerarii curam habuisse videantur. Ludorum etiam inter synedrii expensa mentio facienda est, quos in honorem Ptolemaei cuiusdam (Πτολεμαῖα) celebrabant magno, ut videtur, apparatu. Qui ludi quo tempore et cuius gratia ex Ptolemaeis (vulgo Philadelphus intellegitur) instituti, ubi vel quando celebrati sint, prorsus ignoratur, cum in uno modo titulo commemorentur, quo praecipitur, ut corona aurea Thrasycli a synedrio decreta pronuntietur a praecone: Πτολεμαίων τῷ ἀγῶνι τῷ πρώτῳ, ὅταν οἱ τραγῳδοὶ

---

[16]) Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 7.

[17]) Semel quaestor appellatur in decreto in honorem Timonis Syracusani facto, quod ad ultima societatis tempora referendum esse iam dixi: C. I. G. 2334, lin. 25.

ἀγωνίζωνται,[18]) quem titulum Homollius e scripturae indole credo (non enim notus est Thrasycles) exeunti saeculo tertio adscripsit. De loco cum incertum sit, valde probabile videtur hos ludos celebratos esse Deli, ubi decretum propositum erat ac synedrion sociorum, ut supra dictum est, sedem suam habebat.

Praeter synedros unum etiam magistratum novimus insulanorum societatis, qui nesiarchi nomine appellatur, sed de munere eius nihil amplius dici potest, nisi videri quidem ipso nomine indicari penes eum summam fuisse rerum totius societatis. Sunt vero, quae reputanti mihi scrupulum iniciant. Tres nominantur viri in titulis hoc munere functi: Bacchon vel Bacchontas Niceti f., qui ante Hypsoclis archontis annum (279) nesiarchus fuisse videtur et statua ab insulanis honoratus est,[19]) Apollodorus Apollonii f.,[20]) cuius nomen ut debitoris in hieropoeorum deliacorum tabulis exstat hoc ipso anno scriptis quique civitate etiam a Deliis donatus est,[21]) Hermias qui Diogene archonte (197) φιάλην Apollini dicasse dicitur;[22]) quarti, cui item statua ab insulanis Deli posita erat, nomen legi non potest.[23]) Atque trium illorum primus est Boeotius, secundus Cyzicenus, tertius Rhodius; duo ergo e civitatibus oriundi sunt, quae societatis insulanorum sine dubio participes non fuerunt: quomodo igitur summo magistratu fungi potuerunt, cum cives non essent? Quae difficultas expediri non posse videtur nisi ita, ut coniciamus fuisse et munus militare et nesiarchum praefectum sociorum copiis: cum enim bella hac aetate iam non per civium exercitus gererentur, sed maxima ex parte mercennariorum armis committerentur, factum est, ut summa rei militaris ad eorum ductores deferretur, quia electi civitatum praetores iis contemptui erant. Non vereor, ne quis mihi obiciat statuas aliosque honores iis tributa atque civitatem Apollodoro illi a Deliis datam: quis enim nescit et haec omnia et maiora etiam inde a Charidemi nobilissimi mercennariorum ductoris tempore in tales homines collata saepenumero carcere potius et vinculis dignos? Quin etiam Apollodori ipsius avus cognominis Athenarum classibus

---

18) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 323. 19) Homolle »Archives etc.« p. 45, not. 1. 20) C. I. G. 3655. 21) Homolle »Rapport sur une mission archéologique« p. 28, n. 8. 22) Demar. arch. invent. lin. 71: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 37 23) Bull. d. Corr Hell. XI, p. 248.

praefuerat! Confirmari autem mihi videtur opinio mea decreto populi deliaci, quo collaudatur Rhodius quidam (*'Αναξι . . . . . [Φ]ειδιάνακτος*) dux insulanorum classis et idem appellatur *ἄρχων τῶν νήσων*,[24]) quod munus nomine immutato non aliud esse atque nesiarchi nemo est quin videat. Num Epicrates etiam Polystrati f. Rhodius, qui in alio titulo[25]) cum sociorum triremis insularum custodiae curam habuisse dicitur, munere archontis praeditus fuerit, affirmare non audeo, sed a probabilitate non abhorret. Sed e titulo, quem supra attuli,[26]) apparet archontem hunc non ab omnibus sociis creatum, verum a Rhodiis suo arbitrio nominatum et in insulas missum esse (*ἀποσταλεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ῥοδίων ἄρχων ἐπί τε τῶν νήσων καὶ τῶν πλοίων τῶν νησιωτικῶν*), quamquam magnopere dubito, utrum fuerit ab initio Rhodiis tanta potestas a ceteris sociis permissa an ab ipsis paullatim vindicata: titulus enim hic ad ultimos saeculi tertii vel potius ad primos secundi annos referri debet. cum decretum a Telemnesto Aristidis f. Delio (de quo infra agemus) sit propositum. Haec fere sunt, quae certiora de insulanorum societate indagare potuerim; nam de variis eius fortunae vicibus nihil cognitum habemus et supervacaneum est vanis coniecturis tempus terere.

Delus insula, quamquam nusquam diserte foederis insulanorum particeps fuisse dicitur. dubium tamen non est, quin per satis longum tempus in sociorum numero fuerit, et videtur mihi hoc temporis spatium satis certis finibus posse circumscribi. Iam supra dixi initio Delum ad societatem non accessisse et confirmatur mea sententia iis, quae Homollius e tabulis hieropoeorum attulit nondum editis; nam certissimis usus documentis demonstravit circa annum 300 a. Chr. n. Demetrium sacram insulam in dicione sua tenuisse vel, si mavis, in tutela: appellatur enim *ὁ βασιλεὺς* nomine proprio non addito.[27]) Aliquamdiu, fateor, dubitavi, utrum Demetrius sit intellegendus an Ptolemaeus (de reliquis regibus ne cogitari quidem potest); sed quia apparet illum regem hoc ipso tem-

---

[24]) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 118. [25]) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 111. [26]) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 118. [28]) Homolle »Archives« etc., p. 67 not. 1: ex Lysixen. arch. rat. lin. 68 – 69: *ὅτε ὁ βασιλεὺς ἐξέπλευσεν τὴν κύπρον ἐξενέγκασιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ μισθωτοῖς.* ΔΔ⊢⊢ΙΙ.

pore sacram insulam visisse, minime probabile est Aegypti dominum brevi post classem suam ad Salaminem Cypriam a Demetrio paene deletam Delum venisse cum maximo suo periculo. Quodsi anno 300 Delus in Demetrii potestate fuit, non est, cur dubitemus, quin permanserit in eius dicione, dum a Pyrrho fusus fugatusque totum suum amisit imperium, id quod factum est anno 287. Inter hunc igitur annum et Hypsoclem Deli archontem (279) necesse est insulam ad foedus accessisse, quia tum iam duos vidimus nesiarchos Deli versatos esse, quorum alteri statua ibi erat ab insulanis posita, alter civitate etiam a Deliis donatus: et iam ante annum 285 hoc factum credo, quia in donatorum numero Ptolemaeus Lagi f. uxorque eius Berenice, Aegypti reges, nominantur,[28]) quos ut verisimile non est templum donis ornasse, dum insula Demetrio parebat, ita, cum ab eo defecisset, solita liberalitate id honorasse maxime est probabile. Nisi mavis credere vel brevi post annum 306 dona haec deo oblata esse, cum insula nondum in Demetrii potestate esset, vel iam antea, ut statuendum sit regium nomen in tabulis hieropoeorum quasi anticipatum esse, cum formula dedicationis nulla in donis exstaret eiusmodi, qualis in phiala aurea maximi pretii Veneri dicata, in qua Ptolemaeus ipse se appellaverat: *Πτολεμαῖος Λάγου Μακεδών.*[29]) Ex his iam apparet Ptolemaeum Sotera per maximam regni sui partem auctoritatem Deli habuisse nullam: quam rara sunt eius dona prae eorum numero, quae eodem tempore Demetrius[30]) et praesertim filia eius Stratonice, quae Seleuco regi nupserat, deo consecrarunt[31]) Longe aliter res se habuit regnante Soteris filio Philadelpho, qui non solum per totum regni sui tempus insulam sacram magnificentissimis donis suo et civitatis Alexandrinae nomine ornavit, sed etiam curavit, ut post mortem suam binae phialae nomine suo inscriptae quotannis

---

[28]) Hypsocl. arch. rat. ined. lin. 52: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 158 (4). [29]) Demar. arch. inv. lin. 181: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 48. [30]) Ibid. lin. 8 et 200. [31]) Ibid. lin. 3—4, 4—6, 29—30, 32, 33, 161, 185, 198: triginta et quattuor computavi res varias magni plerasque pretii a regina dicatas. Cfr. etiam quae de eadem exposuit Homollius in commentario ad titulum nuper publici iuris factum addito: Bull. d. Corr. Hell. XII, livr. 5.

dicarentur Apollini Delio.[32]) Quamobrem non possum assentiri Homollio, quem in reliquis sequor, e donis aliquot ab Antigono Gonata eiusque uxore consecratis[33]) colligenti fuisse insulam in dicione regis Macedonum inde a pugna navali ad Coum commissa, qua classem Aegyptiam fuderat, quanquam opinionem suam fulcire conatur exemplo Amorgi[34]) et Syri[35]) insularum usus. Cur non est verisimile post pacem cum Philadelpho factam honorasse Antigonum deum Delium, ut eius sibi gratiam atque insulanorum animos conciliaret, cum credere iubeamur insulam, quamvis defecisset et in adversarii potestatem venisset, remansisse in Ptolemaei amicitia? Certe non ii erant sacerdotes Delii, ut dona a quovis oblata recusarent, si accipere sine periculo poterant; Philadelphus autem et maiore animo erat, quam ut hac re offenderetur, et sine impietatis specie non poterat templo prohibere inimicum suum pace cum eo facta; quin etiam Athenienses olim Lysandri inimicissimi sui dona passi sunt per multos annos in sanctissimo urbis delubro proposita non tam honoris deae quam suae irrisionis causa![36]) Neque unquam Ptolemaeus tantum valuit apud insulanos auctoritate (nisi poetarum adulationibus nimis tribuas), ut invitos eos facere quicquam cogere posset, praesertim victus: prudentis igitur viri erat non suspiciosa invidia abalienare a se, sed benevolentia et liberalitate quam maxime obstringere eorum animos. Neque maiore videtur mihi Antigonus Deli usus esse auctoritate quam Philetaerus Pergamenus, qui ante illum etiam in hieropoeorum rationibus occurrit sub exitum vitae suae (263).[37]).

Concedo equidem extremis Philadelphi annis videri laxatam esse paulisper amicitiam illam, quae semper Aegypti regi cum Rhodiis insulanisque fuerat — perterriti sunt, credo, magna filii eius Euergetae potentia, quam sibi bello statim post patris obitum suscepto comparavit: traditum enim est a Polyaeno[38]) de pugna qua-

---

[32]) Demar. arch. inv. lin. 55 (203), 60 (201), 63 (200), 66 (198), 73 (196), 74 (195), 77 (194), 111 (193), 85 (192), 91 (191), 92 (190), 107 (189), 106 (188), 116 (187), 129 (186), 134 (185), 138 (184), 151 (182), 154 (181): uncis inclusos addidi annorum numeros, quibus consecratae dicuntur. [33]) Sosisthen. arch. inv. ined. lin. 125. [34]) Mittheil. d. deutsch. arch. Inst I, p. 337. [35]) Homolle »Archives« etc. p. 65 not. 2. [36]) C. I. A. II, 652, lin. 30—32. [37]) Sosisthen. arch. inv. ined. lin. 119. [38]) Polyaen. V. 18.

dam navali, qua Rhodii classem eius vicissent. Quoquo modo de fide Polyaeni iudicandum est, haec quidem res confirmari videtur non solum oratione a Rhodiorum legatis Romae habita de amicitia, qua cum Seleuco (secundo scilicet) coniunctae essent,[37] sed etiam Agathostrati Rhodii nomine; nam quem statua Deli posita ab insulanorum societate honoratum esse constat Agathostratum,[38] eundem esse atque nauarchum illum, quem Polyaenus classem Aegyptiam vicisse auctor est, admodum miror neminem animadvertisse. Post pacem autem anno 239 circiter ab Euergeta cum Syriae et Macedoniae regibus factam certe insulani cum eo in gratiam redierunt: patris enim exemplum secutus magnis donis templum deliacum locupletavit. Videtur tamen in altera regni sui parte magis magisque vel depulsus esse potentia paterna ab Antigono Dosone vel ultro animum a rebus Graecorum avertisse, dum pugna ad Sellasiam facta (222) simul cum Cleomenis regis potentia Aegyptiorum auctoritas in Graecia deleta est. Atque Deli quidem multo rarius nomen eius occurrere videtur quam Philadelphi: in inventario certe Demare archonte scripto semel tantum appellatur,[41] cum pater decies novies nominetur;[42] statuae in honorem eius ab insulanis positae quod nullum mansit vestigium, cum basis servata sit statuae paternae,[43] casui illud quidem tribui potest, sed non minus facile inde conicitur patrem maiore signorum numero fuisse honoratum. Post tertii autem Ptolemaei mortem nulla fere iam fit mentio regum Aegypti, quodque magis admiratione dignum est, multo rarius etiam Rhodii et Coi in donatorum numero appellantur, qui medio saeculo insulanorum societate florente non minus assidue videntur Apollinem Delium, foederis patronum, coluisse quam Ptolemaeus Philadelphus: in Sosisthenis anni (250) rationibus teste Homollio[44] Rhodii octies decies appellantur, Demare archonte (180) duo tantummodo occurrunt,[45] et privati ambo, quorum alter phiala, cuius pondus non indicatur, alter corona aurea trium drachmarum deum donaverat. Quamobrem non temere mihi videor contendere iam Antigono Dosone regnante, qui multis donis templum locupletasse dicitur, in-

[39]) Polyb. XXXI, 7. [40]) C. I. G. 2283 c. add. [41]) Demar. arch. inv. lin. 54. [42]) Cfr. not. 27. [43]) C. I. G. 2273. [44]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 165 not. 5. [45]) Demar. arch. inv. lin. 94 et 107.

sulam Delum defecisse ab insulanorum societate atque Macedoniae regum partes secutam esse. Atque documento mihi sunt praeter haec Dosonis dona, quae si sola essent, non pluris penderem quam Gonatae illa, de quibus supra diximus, porticus magno apparatu a Philippo rege exstructa, quali ne a Ptolemaeis quidem erat insula ornata, titulus in basi inscriptus statuae, qua honoravit regem non insulanorum societas, ut Philadelphum quondam, sed *τὸ κοινὸν Μακεδόνων*, ut Dittenberger recte supplevit[46]) inscriptionem laceram, coronae denique, quae a Deliis fautori ac principi suo erant decretae.[47]) Omnium vero gravissimum videtur mihi esse testimonium regis auctoritatis donum illud, quod in titulo nondum publici iuris facto commemoratur deo dicasse ipso illo Sosistrati archontis anno (201), quo pugna ad Laden insulam commissa Rhodios societatis principes insulanorum devicit.[48]) Sed brevi post funestum illud cum Romanis susceptum bellum Philippo ereptam esse sociorum classe sacram insulam testari videntur dona deo Delio oblata ab Hermia nesiarcho anno Diogenis archontis (197),[49]) cum T. Quinctius Flamininus in Thessaliam et Graeciam invaderet; ad idemque tempus referenda sunt duo populi deliaci decreta, quibus collaudantur praefecti sociorum classis (etiam Atheniensium naves commemorantur) Epicrates Polystrati f.[50]) et Anaxi . . . . . . Pheidianactis f. Rhodii,[51]) quod in insula commorati eximia pietate deum prosecuti sint et edicto caverint, ne quis Deliorum portu *ὁρμητηρίῳ* uteretur ad hostes vexandos atque diripiendos. E toto decretorum sermone apparere mihi videtur non fuisse Delios hoc tempore foederis insulanorum participes atque longe aliam rei gerendae rationem timuisse a sociorum praefectis. His duobus tertium adiungo decretum adhuc ineditum, quo summis laudibus efferuntur nauarchus quidam Rhodius et trierarchi tres »ad salutem

---

46) Bull. de Corr. Hell. IV, p. 217; Dittenberger, Syll. Inscr. Graec. I, 194. 47) Etiam Demaris archontis tempore quotannis videtur coronis ornatus esse: cfr. Demar. arch. rat. lin. 26—27 et 43—44, ubi commemorantur redditae deo pecuniae a civitate, quae eas mutuas sumpserat ad coronas aureas Philippo regi Telesarchide (anno 182), Phocaeeo (a. 181), Demare (a. 180) archontibus offerendas. 48) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 161. 49) Demar. arch. inv. lin. 71. 50) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 111. 51) Ibid. p. 118.

Graecorum insulis custodiendis praepositi«[52]), et Pisistrati Aristolochi f. Rhodii ἀνάθημα,[53]) quod dicitur cum militibus suis consecrasse ex praeda de hostibus capta.[54]) De insequentibus annis nihil dici potest, cum incertum sit, fueritne Delus denuo in societatem insulanorum recepta necne, quamquam hoc maiorem probabilitatis speciem habet, deficientibus prorsus usque ad Demaris archontis annum legationibus illis sacris, quas quondam summa magnificentia instructas Rhodii quotannis mittere solebant in sacram insulam. Iam ingruunt tempora Deliis funesta: miseri enim non intellegentes Philippo rege devicto nihil sibi esse reliquum, nisi ut populi Romani inservirent potentiae, quocum foedere vel hoc tempore vel non multo post icto coniuncti erant, ad periculosissimam descenderunt rei gerendae rationem, sive magno Graeciae libertatis nomine quasi occaecati ultimis civitatis temporibus sive, quod verisimilius est in hominibus, qui semper dei parasiti fuerant, vana

52) Homolle »Rapport sur une mission« etc. p. 34.

53) Bull. d. Corr. Hell. III, 471.

54) Huc esse referenda haec decreta, non ad bellum a Romanis adiuvantibus Rhodiis cum Antiocho gestum statui his inprimis argumentis fisus. Bellum navale contra regem Syrum ad Asiae potissimum oras gestum esse scimus, neque causa perspici potest, cur tres nauarchi per totidem videlicet annos sint in Cycladas insulas missi; bello autem Macedonico cognitum habemus saepius sociorum classes in his locis versatas esse: ut res notissimas afferam, Athenas venit Attalus rex anno 200 et Aeginae hiemavit, ibidemque Eris nauarchus Byzantius eodem fere tempore est commoratus cum classe magnisque honoribus affectus ab Atheniensium populo (C. I. A. II, 414).

Nihil deinde traditum habemus de atticis navibus contra Antiochum missis, bello vero cum Philippo gerendo maximo studio interfuisse Athenienses scimus. Denique per totum belli Asiatici tempus sociorum classi non Rhodii nauarchi vel nesiarchi praefuerunt, sed praetores Romani, qui nimirum ipsi edicta sua proposuerunt, non Rhodiorum praecepta secuti sunt. Nihil video, quod opinioni meae obstet, nisi quod idem magistratus in uno decreto nesiarchus appellatur, in altero ἄρχων τῶν νήσων, ut credere possis aliquot annos intercessisse inter hunc et illum titulum lapidi incisum; sed mihi videtur alter legitimo muneris sui nomine appellari — nesiarchus, alter libere a scriba invento e sermonis commodo, ut τῶν πλοίων verba melius adiungi possent ad ἄρχων vocem: ἄρχων νήσων καὶ πλοίων τῶν νησιωτικῶν.

avaritia inducti, quia regum donis et sacrificiis egere non posse sibi videbantur? Quicquid causae fuit, post pacem a populo Romano cum Philippo factam studere coeperunt partibus Antiochi regis (qui iam belli macedonici tempore templo phialam auream donaverat quadringentarum drachmarum,[55]) quanta nunquam Apollini dicata erat, victoriae, ut crediderim, ad Panion partae monumentum). Testimonium amicitiae, quae inter Antiochum Magnum et Delios intercessit, videtur mihi statua regis a Menippo illo in insula dicata,[56]) qui Aetolos quoque ad foedus contra populum Romanum faciendum perpulit. Nihilominus per totum bellum Antiochense, quod brevi post exarsit, Romani duces quotannis coronis aureis deum Delium donabant: T. Quinctius Flamininus,[57]) praetores A. Atilius Serranus et C. Livius Salinator,[58]) L. Aemilius Regillus,[59]) Q. Fabius Labeo,[60]) consul L. Cornelius Scipio[60]) cum fratre clarissimo Publio, cui consulare nomen in hieropoeorum tabulis tribuitur,[62]) Gn. Mallius Vulso, praetor hic appellatus,[63]) atque etiam socii populi Romani fidelissimi Eumenis Pergameni quater fit mentio, qui quattuor coronas aureas centenarum drachmarum pondo dicavit, ni vehementer fallor, eodem quo illi tempore, praeter quartam, quae ad Niciae archontis annum (186) videtur referenda.[64]) Massanassae item regis saepius nomen occurrit in tabulis hieropoeorum deliacorum, ubi laudatur, quod summa liberalitate insulam frumento numidico donaverit,[65]) eique coronae aliquot aureae dicuntur a populo decretae esse, e dei pecuniis comparatae,[66]) atque tres statuas eidem scimus Deli positas, quarum quidem bases servatae sunt.[67]) Atque Deliis ipsis, metu nimirum supplicii perculsis, optimum visum est amicitiam cum populo Romano redintegrare, ut apparet e decreto, non satis integro, a Telemnesto Aristidis f. proposito, quod ad hoc tempus refero, ubi de legatis ad

---

55) Demar. arch. inv. lin. 67. 56) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 360. 57) Demar. arch. inv. lin 85. 58) Ibid. lin. 86. 59) Ibid. lin. 104. 60) Ibid. lin. 103. 61) Ibid. lin. 100; alteram etiam coronam videtur dicasse idem, quamvis sit *στρατηγὸς* appellatus (non *στρ. ὕπατος*, ut l. l.): ibid. lin. 90. 62) Ibid. lin. 101. 63) Ibid. lin. 100. 64) Ibid. lin. 99, 101, 105, 129—130. 65) Demar. arch. rat. lin. 100 - 106. 66) Ibid. lin. 43. 67) Bull. d. Corr. Hell. II, p. 400; III, p. 469; XI, p. 255.

hanc ipsam rem Romam missis vel mittendis agitur.[68]) Sed gravissimo magni illius regis casu nihil edocti populi Romani amicitiae praetulerunt Persei regis benevolentiam et non solum uxorem eius Laodicen, Seleuci filiam, statua publice decreta honoraverunt,[69]) sed etiam ipsius regis edictum, quo exules in Macedoniam restituebantur belli contra populum Romanum parandi causa, in Apollinis templo proponi passi sunt[70]) itemque foederis documentum, quod inter regem Boeotiosque ictum erat:[71]) ne mireris igitur post deletum regnum Macedonicum Romanos, cum non modo in ipsos hostes, sed etiam in civitates, quorum fides suspecta erat, severius animadverterent, Atheniensium precibus obsecuti et insulam iis permisisse et pristinos incolas in exilium eiecisse; quas res infra uberius tractabimus, cum ad tertiam historiae deliacae aetatem ventum erit.

Haec fere sunt, quae de casibus civitatis deliacae certiora dici possint, neque pluribus de eis agere attinet, praesertim cum iam in iis, quae modo exposui, divinationi et coniecturae plus videatur tributum esse, quam fortasse licuit. Sed addenda hoc loco censeo, quae Homollius in paginis aliquot acuminis et doctrinae plenis, usus titulis plerumque nondum editis, exposuit de commercii vestigiis frequentissimi, quod inter civitatem deliacam et urbes quasdam intercedebat mercatura florentes.[72]) In qua disputatione utitur proxenorum insulae nominibus popularibus ita, ut recte et neget unum vel duos proxenos in eadem urbe electos nihil demonstrare, cum honoris causa homini bene merito potuerit munus nomenque esse delatum, et si qua in urbe maior proxenorum numerus occurrit, hoc documento esse statuat, eam cum Deliis arctiore amicitia commercioque frequentiore fuisse coniunctam. Et principem quidem locum, quod minime mirum, tenent Rhodiorum civitas et Alexandria, quarum illa octies vel decies, haec septies in populi deliaci decretis appellatur. Sed haec minoris sunt momenti, quia insulae cum iis necessitudinem intercessisse iam supra multis e documentis didicimus eamque non solum ad commercii commoda verum etiam ad totum rerum statum referri posse apparet. Multo

---

[68]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 87 sq. [69]) C. I. G. 2275 a.
[70]) Polyb. XXVI, 5. [71]) Liv. XLII, 12. [72]) Homolle »Rapport« etc. p. 26–27 et 32–37.

vero magis ad rem attinet, quod Byzantium Cretaeque urbes, quae in insulanorum societate certe non fuerunt, saepissime commemoratas videmus. Atque Deliorum cum Byzantiis amicitiam Homollius recte sine dubio inde repetit, quod frumentum ponticum eorum potissimum navibus Delum advehebatur, unde a mercatoribus aliis in varias Graeciae urbes deportabatur, Byzantiisque adiungendi videntur Chersonesitae *οἱ ἐκ τοῦ Πόντου*, ter in Demaris archontis anni rationibus in templi donatorum numero appellati.[73] In quo mercaturae genere Rhodios Byzantiorum aemulos fuisse consentaneum est huiusque potissimum mercis gratia saepissime in insula esse versatos, tali quidem discrimine, credo, ut ponticum illi, hi aegyptium frumentum venderent. Et ne Cretenses quidem sola pietate adductos (quanquam Apollinis templum prae aliis eligebant, ubi decreta et foederum documenta proponerent) Delum frequentavisse credo, sed hoc iam tempore, ut postea etiam magis, servis undique abductis et captivis vendendis emporium deliacum locupletavisse. Eadem fortasse causa erat, cur Delii Aetolorum inprimisque Naupactiorum et Nabidis tyranni cum iis societate coniuncti amicitiam[74]) colerent, quibus vix quisquam erat terrarum populationibus hominumque rapinis infamior. Neque casui videtur tribuendum esse, quod maxima pars decretorum, in quibus omnium horum nomina occurrunt, ad ultimos tertii a. Chr. n. saeculi annos secundique initium pertinent — facta sunt auctoribus Telemnesto Aristidis f., qui archon fuisse videtur anno 203, eiusque aequalibus —, eodem scilicet tempore, quo Italici insulam frequentare coeperant: exempli causa nomino Homollium secutus[75]) Buzem Canusinum,[76]) Sestium Fregellanum[77]) Timonem Nymphodori f. Syracusanum[78]) ex maximo numero eorum, quorum nomina partim in decretis exstant iisdem illis auctoribus factis, partim in hieropoeorum rationibus inventariisque[79]) circiter inde ab anno

---

[73]) Demar. arch. inv. lin. 16—17. [74]) Nabis etiam proxeni civitatis deliacae honoribus est affectus publice: Homolle »Rapport« etc. p. 29, n. 27. [75]) In luculentissima disputatione, quae inscribitur »Les Romains à Délos«: Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 75—158. [76]) Ibid. p. 81. [77]) Ibid. p. 89. [78]) Ibid. p. 90. Timon idem in Demaris quoque inventariis exstat lin. 74, ubi coronam auream legitur eum deo dicasse anno ut videtur Apollodori archontis (196 a. Chr. n.).

[79]) Demar. arch. inv. lin. 34, 62, 85, 130, 147: locos adfero, ubi pri-

230.[80]) Mentione etiam dignum est, quod tum primum post insulam Athenarum dominatione liberatam civium Atheniensium nomina denuo occurrunt in titulis deliacis.[81]) Simul cum his omnibus apparent etiam homines ex Orientis partibus oriundi, Phoenices, inprimis Tyrii et Aradii. qui in populi decretis. quorum item Telemnestus auctor fuit, laudantur,[82]) Laodicenses mercatores, quorum nomen in statuae basi exstat ab iis Heliodoro positae regis Seleuci Philopatoris ministro notissimo[83]) (appellatur enim etiam in Maccabaeorum libro). Hanc exterorum hominum frequentiam etiam templa demonstrant in Apollinis sacra insula deis aegyptiis, Sarapidi, Isidi, Anubidi aedificata et publice quidem, ut inde colligere possumus, quod in hieropoeorum tabulis mentio fit pecuniae ex aerario sacro expensae ad restaurandum οἶκον τὸν ἐν τῷ Σαραπιείῳ.[84]) Quae templa non multo ante saeculi secundi initium exstructa esse inde mihi effici videtur, quod rarissimi tituli sunt in iis inventi, quos necesse sit ad tempus recenti dominatione attica superius referre.[85]) Ad eandem opinionem adductus est Homollius, cum animadvertisset in singulos annos esse imminutas pecunias ex agris locatis redeuntes, aedificiorum autem pretia aucta, quod recte certissimum putavit documentum crescentis in dies commercii hominumque affluentiae.[86]) Crescebant videlicet Deli quoque insulae fortunae ut emporii inter Orientem et Occidentem siti. ex quo commercium ipsum inter utramque orbis terrarum partem in dies augebatur et coeperant Italici magis magisque animos ad Orientis divitias luxuriamque applicare. Sed haec ipsa prosperitatis Deliorum causa etiam ruinae fuit.

---

vatorum hominum dona commemorantur, cum de coronis a ducibus Romanis dicatis iam supra mentionem fecerim. [80]) Ridicule est factum, quod primus homo Romanus, qui nobis Deli occurrit (in titulo choragico Phillide archonte [a. 259] scripto) mimus (θαυματοποιός) fuit, Serdon.

[81]) Menestratus Atheniensis φιάλην deo dicaverat Cosmiade archonte (a. 198): Demar. arch. inv. lin. 37—38. [82]) Homolle »Rapport« etc. p. 29, n. 21. [83]) Bull. d. Corr. Hell. I, p. 285. [84]) Demar. arch. rat. lin. 220. [85]) Vel potius unus tantum ob dicantis nomen Amni Hierombroti f., saepissime in titulis liberae reipublicae deliacae tempore scriptis occurrens: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 341. [86]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 65: cfr. etiam tabulam ibi propositam.

V.

Multo magis quam hae res, quas vix divinando assequi possumus, instituta liberae reipublicae deliacae nobis sunt cognita, et quanquam nondum omnibus titulis publici iuris factis multa fortasse nescimus, tamen vix maioris momenti ea esse credo.

Iam dominationis Atheniensium tempore perspeximus Deliorum civitatem fuisse antiquitus ita institutam, ut summa rerum penes populum esset. A populo igitur nobis in hac brevi institutorum reipublicae expositione proficiscendum est. Quem ceterorum Ionum more in phylas quattuor phratriasque divisum fuisse cum per se probabile est, tum certis testimoniis confirmatur. Et phylae quidem unius etiam nomen est traditum: Argadis,[1]) quae cum ex quattuor tribubus ionicis sit una, dubitare non licet, quin etiam reliquae tres ibi fuerint; plures vero fuisse non est verisimile, quoniam in iis modo civitatibus hic numerus auctus est, ubi ad Iones genuinos homines alia stirpe oriundi accesserant. Praeterea numerus hieropoeorum, quos quattuor fuisse constat, aliquo modo documento esse potest, quia saepissime magistratuum, qui eodem collegio continentur, numerus a populi discriptione pendet. De phratriis minus certa res est, cum uno in decreto tantum fiat eorum mentio, ubi civitatis iure donatur Philistus quidam Chius cum suis eique permittitur phratriam eligere, cui se adscribi velit[2]) (*καὶ πρὸς φράτραν ἣν ἂν βούλωνται προσγράψασθαι*): neque earum numerus neque nomina nobis sunt cognita, nisi ad exemplum Atheniensium civitatis duodecim eas fuisse magna cum probabilitatis specie conicere possumus.

Alia etiam phylarum Deli fuit divisio, quam eandem Athenis invenimus: cum enim phratriarum divisio a communi origine vel vera vel ficticia esset desumpta, dividebantur praeterea singulae tribus secundum sedes a tribulibus occupatas in aliquot regiones *τριττυῶν* nomine appellatas, atque trinas fuisse, id quod ipsum nomen indicat, ut Athenis constat, ita Deli consentaneum est. Semel

---

[1]) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 473 in nota. [2]) Homolle »Rapport sur une mission« etc. p. 30, n. 38.

enim ex tribu quadam tres nominantur trittyarchi.[3]) Quod autem plerumque duo appellantur trittyarchi, statuendum est duas tantum trittyas, fortasse ditiores tertia, consuevisse deo quotannis binas phialas dicare. Et ne cui offensioni sit, quod illo loco tres trittyarchi nominantur, cum duarum tantum trittyarum fiat mentio, non raro eadem condicione unus tantummodo appellatur, pro certoque haberi potest singulos quotannis trittyarchos a singulis trittyis esse creatos, eos vero, qui singularum phylarum trittyis praeerant, quoniam semel etiam trittyarchi τῆς φυλῆς appellantur,[4]) arctius inter se coniunctos fuisse ipsa muneris administrandi ratione, ut nihil interesset, utrum, ut assolebat, duo ex eis ipsis trittyis, ad quas attinebat, trittyarchi, an unus, an omnes tres, id quod rarissime factum est, phialas in templum adferrent hieropoeisque traderent, a quibus pro re nata modo duo, modo unum, modo tria nomina in tabulas referebantur. Atque hoc mihi verisimilius videtur quam illud duas has trittyas arbitrio suo quotannis vel unum vel duos vel tres creasse trittyarchos, qui ambabus simul praeessent, cum ipso nomine demonstretur singulos singulis praefuisse. Iam quod de una tribu satis certis argumentis demonstrasse videor, fuisse eam in tres regiones divisam, non temere idem ipso trittyae nomine fisus de ceteris quoque phylis tribus statuendum puto, ut totus regionum in civitate numerus fuerit duodecim. Ad quem numerum confirmandum nescio an etiam senatus in duodecim prytanias menstruas divisio adhiberi possit. Omnium autem trittyarum duae tantum certa ratione nobis sunt notae — Thyestadae et Ocynidae,[5]) illae ipsae, de quibus iam supra verba feci, cum dicerem binas quotannis phialas ab iis Apollini esse dicatas. Quibus duas alias adiungo — Mapsichidas[6]) et Theandridas,[7]) dubitanter quidem, cum haec etiam phratriarum vel gentium nomina esse possint. Pagi (δῆμοι) utrum Deli fuerint necne, certa ratione dici non potest; sed non est verisimile, cum iam duodecim regiones quo modo insula tam parva comprehendere potuerit, vix intellegamus. Omnes hae, quas modo appellavi, civitatis partes — phylae, phratriae, trittyae — sine dubio suos habebant magistratus, contiones,

---

[3]) Demar. arch. inv. lin. 55. [4]) Ibid. lin. 127. [5]) In Demar. arch. inv. tam saepe commemorantur, ut locos singulos adferre supervacaneum sit. [6]) Demar. arch. inv. lin. 20 et 114. [7]) Ibid. lin. 160.

instituta, sacella, aerarium; sed nihil de his rebus memoriae est traditum praeter trittyarchorum nomen, neque ex aliarum civitatum exemplis singula restituere conari attinet.[8])

Universi populi contio ἐκκλησία appellabatur, non aliter: ne-

---

[8]) Hic adiungam trittyarchorum duarum trittyarum, quas supra appellavi, Θυεσταδῶν et Ὠκυνειδῶν, qui quidem innotuerunt, nomina secundum archontum seriem discripta, quoniam Homollius non id egisse videtur, ut plenam eorum in fastis deliacis mentionem faceret, satisque multos omisit; ad lacunas evitandas etiam eorum, quos ille attulit, nomina perscribo littera H addita.

Archontes	Trittyarchi
Phillis (a. 205)	Cosmiades Semi f. (Dem. arch. inv. lin. 19).
Telemnestus (a. 203)	Alcimachus Timocratis f. Aristides Telesonis f. Tlepolemus Diodoti f. (ibid. lin. 54).
Leucinus (a. 202)	Polybus, Mnesicles (ibid. lin. 57).
Sosistratus (a. 201)	Charilas, Telesarchides (ibid. lin. 57—58).
Epictemon (a. 200)	Xenocrates, Nicon (ibid. lin. 63).
Heraclitus (a. 199)	Telemnestus, Aristophon (ibid. lin. 68).
Cosmiades (a. 198)	Paches Anaxithemidis f. (ibid. lin. 69).
Diogenes (a. 197)	Orthocles Aristothalis f. Teleson Leucippi f. (H).
Apollodorus (a. 196)	Xenocrates, Pytheas (H).
Polyxenus (a. 193)	Antigonus, Antigonus (H).
Xenon (a. 192)	Charilas Aristothalis f. Acridion Elpinis f. (Dem. arch. inv. lin. 87).
Menecrates (a. 191)	Demaretus Andriae f. Demonicus Aristidis f. (H).
Aristarchus (a. 190)	Mnesimachus, Theodorus. (H).
Diocles (a. 188)	Semus Cosmiadis f. (H).
Empedus (a. 187)	Stesileus, Lycomedes (Dem. arch. inv. lin. 126—27).
Nicias (a. 186).	Aphthonetus, Hermon (ibid. lin. 117).
Demetrius (a. 185)	Phillis Didymi f. Apollodorus Amni f. (H).
Ariston (a. 184)	Tlepolemus, Lampron (Dem. arch. inv. l. 141).
Apaturius (a. 183)	Ctesonides Amphithalis f. Teleson Cosmiadis f. (H).
Telesarchides (a. 182)	Amnus Hierombroti f. Numenius Solonis f. (Dem. arch. inv. l. 152).

que enim Nenzii[9]) sententiam probare possum, sibi persuadentis ἡλιαία verbo, quod semel in titulo quodam occurrit[10]) eandem contionem designari. Nam quod dicit ad opinionem suam firmandam »solita esse dona in contione (ut hic in ἡλιαίᾳ) hieropoeis tradi,« nihil est: non enim in contione dona traduntur, sed χύματα, i. e. metallorum pondera e variis vasorum fragmentis in unum conflata, in quibus maxime cavendum erat, ne quid ab hominibus ad hoc ipsum a populo electis averteretur, praesertim cum satis magna auri argentique vis eis committeretur.[11])

Iam cum ad populi in pecuniis administrandis auctoritatem oratio nostra devenerit, necesse est Nenzio obloqui, qui ultra modum eam amplificavit: dicit enim hieropoeos nihil gessisse nisi ex auctoritate populi (κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου). Sed quod vasorum fragmenta conflanda tradidisse secundum populi decretum dicuntur, non est illud omittendum dei haec fuisse sacra neque quicquam immutari potuisse nisi populi iussu, ut etiam Athenis scimus factum. Idem dici potest de operibus in templo faciendis, quae locabantur »secundum populi decretum et leges«: condiciones nimirum semel constitutae erant in contione, quarum normam sequentes postea hieropoei, si necesse erat, opera sua auctoritate facienda collocabant, ut eadem ratione dei praedia κατὰ ἱερὰν συγγραφὴν item sine dubio a populo constitutam a magistratibus illis suo arbitrio elocabantur. Ut uno verbo absolvam, summa totius templi administrationis certe penes populum erat, sed ad id ipsum hieropoeos eligebat, ut per eos singula gererentur. Minime igitur probabile est dona unquam esse hieropoeis in contione tradita. Itaque ἡλιαία illo loco commemorata non contionem significare potest, sed, ut mihi videtur, aedificium quoddam publicum, ut etiam ex prytaneo nonnunquam vasa ibi per aliquod tempus asservata hieropoeos accepisse traditum est; neque incredibile est hoc nomine designari locum, quo ἡλιασταί, i. e. iudices more et exemplo Atheniensium reipublicae instituti, convenire solebant ad ius dicendum, quamquam res iudiciaria quomodo in civitate deliaca administrata sit, nihil compertum habemus.

---

9) Nenz. Quaestiones deliacae. Diss. Hal. Sax. 1885, p. 6.

10) Demar. arch. inv. lin. 112—13: φιάλας ἃς παρελάβοσαν ἱεροποιοὶ ἐν τῇ ἡλιαίᾳ παρὰ ταμιῶν.

11) Ibid. lin. 118—25.

Sed minime negare volo in populi deliaci contionibus videri plus temporis consumptum in rebus sacris quam in profanis tractandis, cum in sacrificiis festisque rite celebrandis tota Deli quasi salus esset posita. Non igitur dubito, quin nisi iussu populi non sint consecrata templa deis novis, Aesculapio, Isidi, Sarapidi ceterisque extraneis: quae credo non satis lubenti animo concesserunt aemulis Apollinis gloriae, sed coacti magna peregrinorum frequentia. Neque minus ex auctoritate populi fiebat, si, quas civitas a deo pecunias mutuas sumebat, earum sponsores eligebantur, qui rem suam familiarem pro pecuniis illis deo oppignerarent. Certissimum est denique populum decrevisse dies festos novos in honorem regum et principum celebrandos, quorum nomina satis multa (sed nihil amplius) novimus, eorumque pompa et sacrificia ut rite fierent, ipsum providisse.

Multo minoris momenti pro insulae exiguitate crediderim fuisse res profanas, quae ad contionis arbitrium pertinerent, quamquam certe eadem omnia administravit, quae in maioribus civitatibus populi auctoritate fiebant: magistratus creabat, legatos et suos mittebat et alienos audiebat, leges sanciebat vel immutabat, vectigalia constituebat aliaque eiusmodi multa. Quod autem inter tot populi deliaci decreta nulla servata sunt praeter honorifica (inprimis quibus proxenia immunitasque peregrinis datur bene de re publica meritis), uno excepto, ubi de legatione agitur Romam missa vel mittenda[12]) (quamquam hic quoque laus publica potius legatis decerni videtur ob mandata bene confecta), hoc non casu factum puto: omnium enim, qui publice erant honoribus ornati, quoniam plurimum intererat decretum in loco frequentissimo proponi, credo sumptibus eorum ipsorum, qui honorati erant, omnes hos titulos lapidibus incisos a civitateque locum tantummodo, ubi statuerentur, datum esse, quod etiam Athenis scimus saepissime factum. Facile iam intelleges, cur servata sint ipsa illa decreta honorifica: alia neque privati cuiusquam intererat proponi et populus deliacus nimis aerario parcebat. Honores, qui in viros bene de civitate meritos conferuntur, eidem fere sunt, qui in aliis civitatibus usurpabantur: collaudatio, proxenia et *εὐεργέτου* templi populique nomen, proedria in ludis omnibus publicis, ius agri emundi, ius praecipuum

---

[12]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 87.

senatum populumque adeundi post ipsas res sacras pertractatas (πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά), vectigalium immunitas — haec usitatissima[13]), rariora sunt civitas donata,[14]) ἀνακήρυξις per praeconem Apollineis facta coronae sacrae laureae[15]) vel, quod pluris etiam aestimabatur, coronae aureae a populo decretae,[16]) sacra pro salute deis facta (quem honorem Philocli regi Sidonio tributum scimus),[17]) denique dies festi instituti nomine viri honorati insignes.

Quae populi decreta ut rata essent, necesse erat ea a senatu prius sanciri, quamobrem formula iis praescribitur: ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Senatores quidem Deli quot fuerint, ignoratur item atque qua ratione sint creati: utrum sorte, ut Athenis, an populi suffragiis; annuos eos fuisse apparet e formula, quae inscribebatur vasculo aureo quotannis Apollini senatus nomine oblato: ἡ βουλὴ ἡ ἐπὶ τοῦ δεῖνα ἄρχοντος.[19]) Ex hieropoeorum etiam tabulis discimus senatum fuisse divisum in duodecim partes, quae πρυτάνεις οἱ κατὰ μῆνα appellabantur. Non recte quidem Nenz sibi persuasit has esse singulas e singulis tribubus sumptas,[20]) quas iam vidimus fuisse quattuor; verisimillimum tamen est hanc divisionem secundum populi quandam discriptionem factam esse, ut non temere mihi videar statuere e duodecim trittyis creatas esse illas partes (ut Athenis e phylis), quae per singulos menses senatui prytanum nomine praeessent omnesque res minoris momenti gererent: quarum gravissimum erat, ut una cum hieropoeis aeraria et sacrum et publicum clauderent atque recluderent. E senatorum numero certe eligebatur contionis princeps, qui populum in suffragia mittebat, ut

---

13) In omnibus fere occurrunt decretis honorificis, ut necesse non sit exempla adferre. 14) Ut Apollodoro Apollonii f. supra iam vidimus: Homolle »Rapport« etc. p. 28, n. 8. 15) στεφανῶσαι δάφνης στεφάνῳ τῷ ἱερῷ καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν ἱεροκήρυκα ἐν τῷ θεάτρῳ τοῖς Ἀπολλωνίοις, ὅταν οἱ ἱεροὶ χοροὶ τῶν παίδων ἀγωνίζωνται: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 351. 16) στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῷ στεφάνῳ ἀπὸ δραχμῶν χιλίων καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν ἱεροκήρυκα ἐν τῷ θεάτρῳ τοῖς Ἀπολλωνίοις etc.: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 327. 17) Ibid. 18) Φιλαδέλφεια, Φιλεταίρεια, Σωπάτρεια, Παταίκεια, multa alia: cfr. Demar. arch. inv. 54 et 55 et Homollii commentarium in Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 143—144. 19) Exempli gratia e multis unum affero: Dem. arch. inv. 131 legimus »Βουλῆς τῆς ἐπ' ἄρχοντος Νικίου. 20) Nenz, op. l., p. 6.

in nonnullis decretis sub exitum legimus scriptum: *ὁ δεῖνα ἐπεψήφισεν*; neque dubito, quin Atheniensium exemplo principes illi in singulos dies electi sint eisque cum sigillum publicum mandatum fuerit tum claves utriusque aerarii, cum e Polyxeni archontis rationibus pateat nemini praeter prytanes licuisse illud recludere[21]) verique simillimum sit clavem apud unum eorum esse asservatam atque certe apud principem. Quamquam cogitari etiam potest contionis praesidem e reliquarum partium una (ut Athenis proedrorum principem) esse electum. A more Atheniensium abhorret, quod non in verbis, quae decreto ipsi praemitti solent, post sanctionis formulam appellabatur ille princeps, cuius nomen prorsus ignoramus, sed sub exitum subiungebatur, ut iam dixi; neque in omnibus hoc fit titulis, sed in illis tantummodo, quae exeunti saeculo tertio vel initio secundi tribui satis certe possunt, in quibus etiam pro *ὁ δεῖνα εἶπεν — δεδόχθαι τῷ δήμῳ*, quod priore saeculi tertii parte scribi solet,[22]) alia constanter usurpatur formula: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ.*[23]). Duae hae notae gravissimae sunt, quibus decreta singula tempori satis certis finibus circumscripto assignare possimus, praesertim cum neque archon in iis unquam nominetur, neque aliud temporis indicium (praeter scripturae rationem) exhibeatur. Iam patet decretorum formam fuisse simplicissimam et, cum de eisdem semper rebus ageretur, simillimam: primo loco exstat semper sanctionis, quae dicitur, formula — *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* (cui in titulis antiquissimis *θεοὶ* vox praemitti solet);[24]) deinde oratoris, qui rogationem tulit, nomen cum paterno perscribitur; sequitur iam decretum ipsum in duas plerumque partes divisum, quarum priore, quae ab *ἐπειδὴ* voce orditur, causae exponuntur, cur factum sit, e. g. eius viri, qui honoratur, in populum merita vel uberius enarrantur vel paucis

---

[21]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 59, not. 2: *οὐκ ἐτέθησαν εἰς τὴν κιβωτὸν διὰ τὸ μὴ παραγενέσθαι τοὺς πρυτάνεις ὥστε ἀνοῖξαι τὴν κιβωτὸν ἐπαγγειλάντων ἡμῶν.* [22]) C. I. G. 2267; Bull. d. Corr. Hell. I, p. 282; IV, p. 345, 348; X, p. 133. [23]) Ut iam Homollius adnotavit ad decretum in honorem Demotelis Aeschyli f., poetae Andrii, factum: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 345. Occurrit formula C. I. G. 2269; Bull. d. Corr. Hell. I, p. 279, 281; II, p. 328, 330; VIII, p. 81, 89. [24]) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 345.

verbis sollemnibus absolvuntur: *ἐπειδὴ ὁ δεῖνα ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν διατελεῖ περί τε τὸ ἱερὸν καὶ τὸν δῆμον τὸν Δηλίων καὶ χρείας παρέχεται καὶ κοινῇ τῇ πόλει καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἐντυγχάνουσιν αὐτῷ τῶν πολιτῶν ἐς ὃ ἄν τις αὐτὸν παρακαλέσῃ περὶ Δήλου* aut alia huiusmodi; altera parte post verba *δεδόχθαι τῷ δήμῳ* (aut *τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*, qua de re modo verba feci) praemia et honores in eum collati pronuntiantur, quae pars finitur verbis: *ὑπάρχειν δὲ αὐτῷ καὶ τἆλλα πάντα ὅσα δέδοται καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὐεργέταις τοῦ τε ἱεροῦ καὶ τοῦ δήμου τοῦ Δηλίων*; inter has duas decreti partes saepenumero tertia est interposita, qua praedicatur populum haec statuisse, ne ingratus appareat in viros de republica bene meritos (*ἵνα οὖν ὁ δῆμος εὐχάριστος φαίνηται καὶ τιμῶν τοὺς γενομένους ἀγαθοὺς ἄνδρας*). Denique sub exitum iubentur senatores in senatu, hieropoei in templo decretum litteris mandare, quod cave ita intellegas, quasi titulus lapidi incidendus fuerit, cum ne Athenis quidem, ubi constat maximum titulorum numerum publice propositum esse, tam liberalis fuerit civitas, ut ulla decreta honorifica duobus exemplaribus incidenda curaret publico sumptu. Atque confirmatur haec mea opinio iam supra exposita ea re, quod nusquam in decretis neque *στήλης λιθίνης* mentio fit, in quam incidi iubeantur, neque quaestorum aliorumve magistratuum, qui pecunias ad id ipsum erogent: tum modo *ταμίας* appellatur, cum in coronam auream comparandam impensae faciendae erant. Quamobrem et credo titulos honorificos — id quod iam dixi — privatorum sumptibus lapidibus incisos et, senatores hieropoeique si iubentur decreta perscribere, hoc non de lapidibus, sed de chartis intellegendum est, quas in hunc usum emptas scimus e hieropoeorum rationibus.[25]) Contionis principis nomen in titulis posterioris aetatis extremo loco poni solitum esse iam commemoravi. Itemque iam supra mentionem feci vasculorum, quae quotannis a senatu deo offerebantur; sed fueritne vel unum eorum a senatu ipso suo sumptu comparatum, dubito, cum ex hieropoeorum rationibus appareat fuisse senatus munus praecipuum, ut ex usuris pecuniarum, quae ab hominibus quibusdam piis deo donatae erant, aliquot quotannis vasa facienda curaret, donatorum no-

---

[25]) Demar. arch. rat. lin. 182: *χαρτῶν* quinque drachmae pensae dicuntur.

minibus notata — *στησίλεια*, *γοργίεια*, *φιλωνίδεια*:[26]) quamquam credere licet *ποτήρια* illa, quae singula quotannis nullo nomine proprio addito a senatu tradita dicuntur, ipsius nomine consecrata esse.[27])

Senatum cum universum suam habuisse curiam (*βουλευτήριον*), quo conveniret ad negotia sua exsequenda, tum eam partem, quae per mensem reipublicae praeerat, proprio usum esse *πρυτανείῳ*, ut per se consentaneum est, ita et *βουλευτήριον* et *πρυτανεῖον* nominatim multis in titulis appellantur; in illo iubentur populi decreta omnia perscribi, in altero scimus vasa satis multa ab archonte asservata esse ad festa celebranda.[28])

Magistratus deliacos satis multos cognitos habemus e titulis; sed potestas singulorum quae fuerit, e nominibus eorum plerumque colligendum est, deficientibus documentis aliis. Duo autem sunt genera: ordinarii in certum tempus, plerumque annuum creari soliti, et extraordinarii pro re et tempore ad definitum munus perficiendum electi. His adiungendi sunt, qui sua re familiari sumptus publicos sustinebant *λειτουργιῶν* nomine, aliique privati quibusdam officiis publicis functi. A quibus omnibus segregandi sunt ministri quidam inferiores, qui mercede conducebantur ad negotia certa exsequenda et certe, quamquam de hac re nihil est memoriae traditum, per longius temporis spatium, saepe etiam fortasse usque ad mortem in munere remanebant, si bene officium suum praestabant. Iam ipso hoc ordine, quem modo proposui, omnes deinceps pertractabo quodque de singulis vel certum cognosci vel cum quadam probabilitatis specie indagari potest, afferam.

---

26) Exempli gratia affero e Demar. arch. inv. lin. 131: *ποτήριον στησίλειον ἐπιγραφὴν ἔχον· βουλῆς, τῆς ἐπ' ἄρχοντος Νικίου, Στησίλεως Διοδότου Ἀπόλλωνι Ἀφροδίτῃ· ὁλκὴ* 𐅄ΔΔΔΓΗ. 27) Cfr. Demar. arch. inv. multis locis, ut lin. 173—175. Iam Homollius dixit (Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 113) duo genera *ποτηρίων στησιλείων* in inventariis appellari: unius vasculis, quorum singula c. 87 dr. pendunt, plerumque nomen donatoris Stesilei Diodoti f. additur, alterius, quae minoris multo sunt ponderis — 60 dr., nunquam, ut haec a senatu ipso dicata facile credas et »*στησίλεια*« non ex donatoris nomine appellata, sed ex certa vasculi forma (ut »*θηρίκλειον*«). 28) Illius rei non necesse est testimonia adferre, de vasculis autem in prytaneo asservatis cfr. titulos choragicos: Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 109 sqq.

Summus civitatis magistratus **archon** erat quotannis creatus, de quo ad ea, quae supra in pertractando dominationis atticae tempore exposui, non habeo quod addam, nisi ex hieropoeorum rationibus apparere (quod ipsum per se est consentaneum) cum omnibus cum rebus gravioribus interfuisse gerendis, tum maxime templo administrando ita, ut praesente eo et inferrentur pecuniae in aerarium[29]) et expenderentur,[30]) thesauri novis hieropoeis traderentur,[31]) opera publica et facienda elocarentur et facta probarentur. Archontem etiam ludos maiores celebrandos diesque festos agendos providisse infra demonstrare conabor, cum opinionem meam proponam de epistatae munere, quem ait Homollius festis celebrandis praefuisse.

Secundum ab archonte locum obtinuisse videntur **hieropoei** templis thesaurisque custodiendis et restaurandis, pecuniis et rebus sacris administrandis, *κιβωτῷ δημοσίᾳ* servandae praepositi, ipsi quoque iam tempore dominationis atticae noti. De pecuniae sacrae administratione cum infra exponemus, munus eorum saepius perstringemus; nunc hoc unum maximopere assevero contra Nenzii sententiam perversissimam:[32]) nomen quidem suum hieropoeos certe inde duxisse, quod sacrificia quondam deis facienda procurassent, sed illo tempore, de quo nunc agitur, haec sacerdotum officia non iam ad eos pertinuisse. Nam ut in civitatibus graecis omnes fere magistratus maiore dignitate praediti sacrificia quaedam deis et poterant et debebant facere, sic hieropoei quoque deliaci singulis mensibus in ara, quae *ἱερόποιος* appellabatur,[33]) sacrificabant; sed minime ideo »sacrificiorum praesides« sunt habendi vel sacerdotibus etiam adnumerandi: magistratus sunt profani, templo pecuniisque dei custodiendis praepositi, non sacerdotio nescio quo praediti. Quattuor denique numero eos fuisse quod supra dixi, id iam demonstrare conabor. Duobus enim plures fuisse et tempore dominationis atticae[34]) et primis liberae civitatis deliacae annis ita

---

[29]) Demar. arch. rat. lin. 38. [30]) Ibid. lin. 55. [31]) *τόδε παρελάβομεν ἀργύριον ἐν τῇ ἱερᾷ* (vel *δημοσίᾳ*) *κιβωτῷ παρούσης τῆς βουλῆς καὶ τοῦ ἄρχοντος τοῦ τῆς πόλεως*: Demar. arch. rat. lin. 2 et 75—76. [32]) Nenz, Quaest. del. p. 10. [33]) Demar. arch. rat. lin. 182, 183, 184, 185, 189, 190, 191, 192, 193, 194: decies in expensis commemorantur *ξύλα εἰς βωμοὺς πύθιον, ἱεροπόιον*; duo menses in lacuna interciderunt. [34]) Cfr. amphictyonum rationes Timocrate Athenarum archonte (a. 364 a. Chr. n.) scriptas: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 462.

constat,[35]) ut dubitari non possit; initio vero saeculi secundi cum aliquotiens occurrat collegium quattuor hieropoeorum neque sit verisimile saeculo illo, quod intercedit inter Charmum (a. 280) et Demarem archontem (a. 180), esse imminutum eorum numerum praesertim crescentibus in dies templi divitiis cumque satis certa ratione quattuor fuisse Deli phylas probavisse mihi videar, Homollio non assentiri non possum statuenti quotannis hieropoeos quaternos esse creatos, licet maxime mirum sit plerumque binorum nomina adferri etiam in pecuniarum rerumque traditionibus, cum ceteri, qui aderant, magistratus appellentur universi; neque solum bini semper nominantur, sed etiam eidem per totum, quo munere fungebantur, annum (non per semestre alii ut Delphis *βουλευταί*), ut reliquorum ne nomina quidem cognoscantur; contra si universum quattuor virorum collegium appellatur, nunquam ita fit, ut alio loco duorum tantum nomina afferantur, sed semper eadem constantia universi nominantur. Nihilominus Homollii sententia videtur accipienda, cum quattuor virorum collegia non continuis annis appareant, ut de commutatione quadam a populo decreta cogitare possis, sed semper fere uno anno interiecto, quo duo hieropoei appellantur: quattuor virorum collegia occurrunt anno Demaris archontis (180 a. Chr. n.),[36]) deinde uno interposito duobus continuis Oenei[37]) et Phocaeei annis (178 et 177),[38]) denique post idem temporis spatium Polybo archonte (175),[39]) post quem modo duorum virorum collegia scripta exstant.

Cum hieropoeis arctissime coniuncti sunt quaestores (*ταμίαι*) duo,[40]) qui publico aerario praeerant, ut illi sacro: non enim

---

[35]) E rationibus nondum publici iuris factis Homollius attulit (Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 58, not. 2): *ἱεροποιοὶ οἱ ἐπ' ἄρχοντος Λυσιξένου Ἐλπίνης Ἀνδριὰ καὶ οἱ συνιεροποιοί*, quod certe dici non potuisset, si duo tantum fuissent. Quattuor etiam hieropoei nominantur Charmo archonte (a. 280 a. Chr. n.). [36]) Demar. arch. rat. lin. 1; Amphicl. arch. rat. lin. 10—12. [37]) Amphicl. arch. rat. lin. 15—17: *ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Οἰνέως Ἄμνος, Ἀγόραλλος, Χαρίλας, Χαρικλείδης*; cfr. ibid. lin. 64—65. [38]) Ibid. lin. 17—18: *ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Φωκαιέως Ἀριστόβουλος, Λύσης, Δημοχάρης, Δημόδοκος*; cfr. ibid. lin. 38, 62—63, 71—72. [39]) Ibid. lin. 12—13: *ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Πολύβου Ἀριστόβουλος, Ἀκριδίων, Κραταίβιος, Ἀντίγονος*; cfr. ibid lin. 24—26, 67—68. [40]) Cfr. hieropoeorum rationes, passim.

assentior Nenzio, qui publici quoque aerarii summam curam penes hieropoeos fuisse censet, quod et de acceptis expensisque eius quotannis rationem reddiderint neque sine eis quaestoribus licuerit pecunias eximere ex aerario,[41]) non monitus exemplo hellenotamiarum quaestorumque Minervae Atheniensium! Asservabant sane hieropoei pecunias publicas a quaestoribus acceptas in templo ut in loco tutissimo, unde facile intellegitur, cur neque eis absentibus quicquam inde eximere licuerit et post annum exactum ipsi rationem reddiderint pecuniarum et acceptarum et rursus quaestoribus traditarum. Sed neque quas in manibus habebant administrabant, neque omnes, quae reipublicae quotannis redibant, a quaestoribus accipiebant. Atque illud quidem certissimum est, quoniam quilibet rationum versus documento est, ne attigisse quidem eos has pecunias nisi coram archonte prytanibusque et scribis duobus aut a quaestoribus accipientes aut reddentes vel his ipsis vel quibus iussissent, saepissime *σιτώναις*. Neque difficilius alterum perspicitur, quamquam a nullo adhuc est animadversum, non esse omnes pecunias publicas in templum illatas, ut, accurate si loqui volumus, non ipsum aerarium publicum (quod unum est, cum pecuniae eius variis locis et colligi et asservari et expendi possint), sed arcam (*κιβωτός*) pecunias quasdam publicas continentem in templo esse asservatam dicere debeamus: paullulum enim perscrutati hieropoeorum rationes Demaris anni videmus praeter unam pensionem 3470 dr. tibicinibus factam[42]) omnes pecunias reliquas ad frumentum emendum datas[43]) — num credibile est rempublicam deliacam per totum annum nullas alias impensas habuisse praeter tibicines frumentumque? *Τρὶς μάκαρες καὶ τετράκις* Delii, si tribus tantum diebus anni pecunias publice pendere coacti erant![44]) Et scimus hoc ipso anno coronas aureas Philippo et Masannassae regibus publice tributas esse, quarum commune pretium maius fuisse credo 1350 dr. e sacro aerario Galaxione mense mutuis sumptis, Posideone redditis,[45]) quod mille drachmarum coronae vel privatis

---

[41]) Nenz, Quaest. del. p. 7. [42]) Demar. arch. rat. lin. 127—129.

[43]) *τοῦτο ἔδομεν τοῖς σιτώναις Ἄμνῳ, Φιλλάκῳ, Φάνῳ* ter occurrit in Demar. arch. rat. lin. 127, 132, 139 et sunt 18560 dr. Lenaeone, totidem drachmae Thargelione et Buphonione mensibus pensae. [44]) Cfr. notam superiorem. [45]) Demar. arch. rat. lin. 59—61 et 43—44.

hominibus tribui solebant; at neque huius pecuniae in *δημοσίας κιβωτοῦ* rationibus fit mentio neque mille drachmarum, quas novimus eodem anno usuras deo pro aere alieno a civitate contracto pensas.[46]) Quin etiam in his aerarii publici, quod dicitur, rationibus desideramus impensas ad festa deis celebranda factas, quas nemo negabit maximas fuisse, cum videamus solis tibicinibus plus 3000 dr. pensas: nam sumptibus publicis ea celebrata, non dei pecuniis certum est, quod sacri aerarii dubium non est quin rationes plenissimae exstent. Non igitur totius aerarii publici rationes perscriptae sunt in hieropoeorum tabulis, sed pecuniarum tantum illarum, quae a quaestoribus iis tradi solebant in longius temporis spatium ad certum quendam usum reservandae (quamobrem saepissime iis additur: *κατὰ τὴν διάταξιν*, quod nos sermone vernaculo »nach dem Budget« appellamus) — *εἰς σιτωνίαν*, *εἰς εἰκόνας* (deorum videlicet), *εἰς χῶμα*, *αὐληταῖς* et alia; quibus adiungebantur interdum extraordinaria quaedam, ut Demare archonte pretium frumenti a Masannassa rege civitati deliacae dono dati drachmarum 9920 fere,[47]) et quotannis quae e reditibus publicis remanebant non expensa neque ad certum usum destinata, vel potius pars eorum, ut e verbis *ἐκ τῶν ἀκατατάκτων* colligendum videtur, quae Demare archonte circiter drachmas 3875,[48]) anno superiore decem fere drachmis amplius[49]) confecerunt. Quamobrem inutile est *δημοσίας κιβωτοῦ* reditus et impensas hic persequi, cum de tota aerarii publici administrandi ratione pauca inde discere liceat — satis erit summas aliquot pecuniarum afferre exempli gratia. Ad frumentum emendum legimus a civitate datas 51794 dr.,[50]) expensas 55680,[51]) ad molem (*χῶμα*) quandam instaurandam per aliquot annos continuos quingenas drachmas assignatas,[52]) *εἰς εἰκόνας*

---

[46]) Demar. arch rat. lin. 41—42. [47]) Ibid. lin. 100—106.
[48]) Ibid. lin. 119—121. [49]) Ibid. lin. 95—96. [50]) Ibid. lin. 106—112, 115—117, 118—119. Anno antecedente 18560 dr. non amplius erant a civitate ad ipsam hanc rem assignatae: ibid. lin. 91—94. [51]) Cfr. notam 42. [52]) Demar. arch. rat. lin. 78—79 (Diocle archonte = a. 188 a. Chr. n.), 81—82 (Telesarchide archonte = a. 182), 88—89 (Phocaeeo archonte = a. 181), 117—118 (Demare archonte = a. 180).

quotannis quadringenas reservatas,[53]) tibicinibus duobus annis continuis 3470 dr., ut iam dixi, pensas.[54])

Nihil credo me omisisse, quod maioris momenti de hac aerarii publici parte dici possit hieropoeorum curae commissa; de altera vero eaque maxima, quam quotidianis, ut ita dicam, reipublicae necessitatibus atque festis sacrificiisque deorum celebrandis inservisse et a quaestoribus ipsis administratam esse certum est, nihil omnino cognitum habemus. Unum constat omnes civitatis reditus relatos esse non ad quaestores ipsos, sed ad trapezitas eorumque etiam in τραπέζαις asservatos, dum vel expenderentur a quaestoribus vel hieropoeis in κιβωτὸν δημοσίαν traderentur ad custodiendum. Inutile fortasse est monere publicas fuisse omnes pecunias, quae ab his trapezitis quaestoribus reddebantur (ut quae hieropoeis, sacras), etiamsi postea non in arcam publicam, sed in aerarium sacrum ab iis inferrerentur — videlicet civitatis nomine ad debita deo solvenda.[55])

---

53) Demar. arch. rat. lin. 86—88 (Phocaeeo archonte), 113—114 (Demare archonte). 54) Ibid. lin. 85—86 (Phocaeeo archonte), 112—113 (Demare archonte).

55) Omnium, quos modo nominavi, magistratuum, archontum, hieropoeorum, quaestorum fastos miranda diligentia Homollius composuit plenissimos documentisque instruxit in libro, qui inscribitur: »Archives de l'intendance sacrée à Délos«. Quo diligentissime perlecto, assentior auctoris verbis dicentis »res in eo pertractatas non posse breviter enarrari«, quamobrem ne conabor quidem hoc facere. Ceterum minutissime omnibus rebus perpensis titulisque (qui quidem publici sunt iuris facti) perlustratis, praeter magistratus illos, quos ille ipse dubitanter huic vel illi anno adscripsit, de solius Calliae archontis tempore dubito et duas tantummodo res fastis addere possum. Primum archontis, qui duobus ante Demarem annis munere est functus, Telesarchidis paternum nomen investigavi in Demar. arch. inv. lin. 150—151 scriptum, ubi Eudici filius appellatur, indeque efficitur eum fuisse inter superioris anni hieropoeos, quod per se ipsum verisimile erat. Deinde, quod est gravius, quaestorum, qui magistratu hoc sunt functi anno Empedi archontis, quo Homollius lacunam in fastis statuit, invenisse mihi videor nomina: quod enim quaestores anni insequentis, quo Nicias archon fuit, Demetrius et Leontiades, quaedam se accepisse scribunt *παρὰ ταμιῶν Ποσειδίππου καὶ τοῦ ἐπιτρόπου τῶν παιδίων τῶν Μνησιμάχου Οἰνέως* (Demar. arch. inv. lin. 113) omniumque per viginti fere annos superiores quaestorum no-

Duo deinceps scribae commemorandi sunt, hieropoeorum unus, alter civitatis (τῆς πόλεως), quorum de munere ex ipso nomine satis perspicuo nihil amplius dici potest, nisi ambo interfuisse ut traditionibus omnibus in templo factis totius aerarii sacri profanique et donorum omnium, ita singulis pensionibus pecuniae ab hieropoeis vel acceptae vel expensae:[56]) atque horum scribam adfuisse, ut statim omnia et deposita et erogata litteris mandaret rationis postea reddendae causa, non est quod moneam; civitatis autem scribam ἀντιγραφέως (ut nomine Athenis usitato utar) munere credo functum, ut exemplar ab eo scriptum ad hieropoeorum rationes examinandas et probandas adhiberetur. Ambo et annui erant et a populo creati videntur; magistratus autem eos fuisse, non ministros conducticios, neque parvae auctoritatis, vel inde apparet, quod inter nomina eorum non multa servata inveniuntur eadem, quae etiam in summorum magistratuum fastis occurrunt.[57]) Nam Timoxenus Timoxeni f., qui Xenotimo archonte (a. 179 a. Chr. n.) hieropoeorum scriba fuit, frater sine dubio eiusdem anni hieropoei Demetrii (paternum enim nomen est idem), habendus est idem atque hieropoeus huius nominis munere functus Polyxeno archonte (a. 176) et certe fuit archon anni 171 a. Chr. n., quod etiam hic Timoxeni filius appellatur; Polybus autem Menylli f., qui scriba hieropoeorum fuit Amphicle archonte (a. 170), non dubito, quin fuerit filius Menylli Polybi f., qui quaestoris est munere functus Demare archonte (a. 180). Atque Athenis etiam, ubi scribae conducticii nomen opprobrio erat, constat in magistratuum collegiis scribam tanta esse auctoritate usum, ut non solum nomen eius usurparetur ad collegii annum designandum, sed etiam ipse collegio

---

mina sunt nobis nota, necesse videtur statui Empedo archonte (a. 187 a. Chr. n.) esse quaestorum munere functos Posidicum et Mnesimachum, et in huius locum ante anni exitum mortui secundum legem successisse liberorum eius tutorem Oeneum. — Quaestoris Aphthoneti (Demar. arch. inv. lin. 20) et hieropoeorum Aphthoneti Theoxenique (ibid. lin. 40—41) nomina consulto credo ab Homollio in fastis omissa, cum vix certa ratione ad hunc vel illum annum referri possint.

[56]) Demar. arch. rat. lin. 2—3, 38, 55, 76, 100, 122; eiusd. arch. inv. lin. 1—3. [57]) Ad ea, quae sequuntur, utor fastis deliacis ab Homollio compositis: »Archives« p. 102 sqq.

adnumeraretur, ut οἱ ἕνδεκα decem sunt magistratus cum scriba uno. Idem in civitatis scribam cadit: Apollodorum quidem, qui Sotione archonte (a. 208) hoc munere est functus, eundem fuisse verisimile est atque Mantithei filium duobus post annis quaestorem factum, deinde Diogene archonte (a. 197) hieropoei munere functum, insequenti anno archontem etiam creatum, atque Posidicus Sotelis f., qui Demare archonte, Telemnestus Antigoni f., qui anno post scribae civitatis fuerunt, quamvis in hieropoeorum quaestorumque fastis, extremo hoc reipublicae liberae tempore satis mutilis, eorum nomina non occurrant, dubium non est, quin familiis duabus nobilissimis adnumerandi sint, saepenumero summis honoribus a populo Deliorum ornatis; idem cum maiore etiam probabilitate dici potest de Parmenione Polybuli f. et de Hierombroto Amni f., qui per duos annos continuos Charilae archontis (a. 220) eiusque successoris, quisquis fuit, scribae τῆς πόλεως munere sunt functi: quorum in familiis quasi hereditarium videtur fuisse quaestorum et hieropoeorum munus. Apud Athenienses etiam primus civitatis scriba (cuius nomen non semper idem erat) satis magno honore et auctoritate usus esse videtur semperque e senatorum numero eligebatur. Num hoc idem Deli fieri solitum sit, ut senator scribae munere fungeretur, neque affirmare neque negare audeo documentis deficientibus. Sed senatum scribam proprium habuisse inde apparet, quod semel γραμματεὺς τῆς βουλῆς appellatur.[58]) Qui si non idem est atque civitatis scriba, verisimilius puto hunc non a senatu, sed a populo esse creatum, atque hoc quidem certum est, cum per totum annum in munere permaneret γραμματεὺς τῆς πόλεως, non e prytanum numero eum eligi potuisse.[59])

Venio nunc ad magistratum quendam, cuius munus definire difficillimum est, cum, quale fuerit, neque e nomine neque ex iis, quae de officiis eius tradita sunt, notionem satis claram capere liceat — ἐπιστάτην dico. Ne de numero quidem constat, cum plerumque singulis annis singuli inveniantur, in titulo vero chora-

---

[58]) C. I. G. 2266. [59]) Iam dixi non multa servata esse scribarum utriusque generis nomina, quae omnia collegit diligentissime Homollius in fastis deliacis, semel errore admisso in Helicandri nomine, quem dicit scribam hieropoeorum fuisse Charila archonte (a. 220 a. Chr. n.), cum epistata fuerit hoc ipso anno: cfr. Demar. arch. inv. lin. 47.

gico Sosistrato archonte scripto tres occurrant.[60]) Quamquam ne hic quidem omnes una appellantur, sed separatim unusquisque agere videtur, ut casu esse factum potuerit, reliquis annis ut unius nomen servaretur, cum plures essent. Vel hac de causa segregandi sunt ἐπιστάται ab ἐπιμεληταῖς, quibuscum eos confudit Nenz[61]): hi enim, ubi eorum mentio fit, semper plures nominantur. Deinde ἐπιστάται non appellantur, nisi ubi de donis agitur deo dicatis, ut videantur quodammodo ad tempus definiendum adhibiti esse (quodammodo dico, quia plerumque una cum iis archontis nomen exstat scriptum); ἐπιμεληταὶ vero semper operibus in templo faciendis vel omnino publicis praesunt, praeterquam quod ter dona quoque sacra, coronas aureas, hieropoeis tradidisse dicuntur, sed ita, ut idem certe eorum collegium appelletur, cum semel Tlepolemus (cum Xenoclide,[62]) deinde Periander (cum Tlesimene et Xenone),[63]) tertium Tlepolemus et Periander una ambo nominentur.[64]) Verum minime inde colligere licet, ad ἐπιμελητὰς donorum ullam curam pertinuisse; nam cum ex tribus donis illis coronas duas certe constet dicatas esse a peregrinis,[65]) peregrinos autem sciamus saepius dona sua deo misisse vel per privatos homines (ut P. Cornelius Scipio per Sosistratum Amphiae f.,[66]) Q. Fabius praetor per Polybum Menylli f.[67]) — ambos Delios) — quidni per ἐπιμελητὰς quoque tradiderint? Neque magis Homollio assentiri possum, epistaten ludis celebrandis praefuisse statuenti.[68]) Nescio, an ex documentis nondum editis hanc opinionem conceperit; in iis certe, quae in manibus habeo, cum saepissime epistatae nomen occurrat, nunquam fit talis muneris mentio, ne in titulis quidem choragicis satis integris duodecim.[69]) An credibile est non solum choragos omnes esse enumeratos, sed etiam τεχνίτας, curatoris ludorum ne minimam quidem mentionem factam? Abhorret talis modestia a Graecorum moribus! Deinde planissime apparet totoque titulorum horum ser-

---

60) Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 116—119 sub finem. 61) Nenz. Quaest. del. p. 11—12. 62) Demar. arch. inv. lin. 103. 63) Ibid. lin. 105. 64) Ibid. lin. 107—108. 65) »L. Aemilius praetor Romanus« et »Rex Eumenes regis Attali f.« in iis erat inscriptum: Demar. arch. inv. lin. 103 et 105. 66) Demar. arch. inv. lin. 101—102. 67) Ibid. lin. 102 103. 68) Homolle »Archives« etc. p. 49, not. 2. 69) Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 103—121 et IX, p. 146—157.

mone confirmatur non epistaten eos litteris mandasse, sed archontem civitatis ipsum — prima enim de se persona loquitur; atqui constat in omnibus civitatibus, rem qui gesserat magistratus, eundem rationes redditas in lapidem incidendas curasse: itaque mihi certum est, quod iam dixi, archontem ludis praefuisse. Idque per se ipsum est verisimile, cum Athenis quoque cognitum habeamus summos magistratus omnibus sacrificiis ludisque maioribus praefuisse. Tollitur denique omnis dubitatio titulis, quos modo attuli, choragicis, quorum in compluribus vel sub exitum vel choragorum catalogo et victorum insertum exstat inventarium satis amplum vasculorum, quae in prytaneo videntur ab archonte asservari solita esse quaeque ipse dicit se a superioris anni archonte accepisse successorique tradidisse;[70]) haec autem cur hic potissimum perscripta essent, nisi in ludis celebrandis adhiberentur ad *ἑστιάσεις* populi vel, quod magis crediderim, ad theoros exterarum gentium in prytaneo hospitio excipiendos e communi omnium Graecorum more? Quae si recte disputata sunt, quis credere potest summum civitatis magistratum diebus festis ipsum epuli curam suscepisse, ludorum permisisse aliis? Sed ne adiutores quidem archontis in hoc officio satis gravi atque laboris negotiique pleno fuisse epistaten vel epistatas patet e titulo Sosistrati archontis choragico:[71]) tres enim epistatae, qui munere functi erant Telemnesto archonte (duobus ante annis), singulas dicuntur phialas argenteas deo dicasse, atque hae archonti in prytaneo asservandae traduntur, sed non ab ipsis, ut oportuit, si officio eius consortes fuissent, verum ab hieropoeis superioris anni, qui ex illorum manibus accipiunt, ut statim archonti tradant — statim dico, quoniam munere suo iam defuncti ingerere quidem donum aliquod in aerarium poterant, eximere vel alio transferre non poterant. Constat igitur epistatas neque ludorum curam attigisse neque eis cum eorum curatore archonte quicquam intercessisse negotii, sed semper cum administratoribus aerarii sacri rem fuisse. Sed nihil adhuc profecimus in ipso eorum mu-

---

[70]) *Τάδε παρέλαβον ἀργυρώματα παρὰ Λευκίνου τοῦ Φωκαέως,* scripsit archon Sosistratus Amphiae f. (Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 116—119), *καὶ ἐπὶ τῆς ἐμῆς ἀρχῆς* (scil. *ἔλαβον*) . . . . *ταῦτα παρέδωκα τῷ μετ' ἐμαυτὸν ἄρχοντι Ἐπικτήμονι.* [71]) Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 116—119 sub tit. fin.

nere cognoscendo. Primo credebam praefuisse singulos epistatas senatus consiliis diurnis: facile tum intellegeretur, cur in donis potissimum accipiendis appellarentur; nam penes eos singulis deinceps diebus fuisse aerarii clavem coniectura satis probabilis videtur. Sed huic opinioni tituli adversantur: primum enim quod in Sosistrati archontis titulo choragico dona tria exstant *ἐπιστάτου τοῦ δεῖνα* nomine inscripta, principis senatus nomen, cum ad unum modo diem pertineret, vix inscribi potuit; deinde in Demaris archontis inventario templi phiala quaedam donata dicitur *ἐπιστατοῦντος Ἑβδομίσκου καὶ Ἀπατουρίου*,[72]) atqui die uno duo senatus principes fuisse nullo modo possunt. Verisimillimum igitur mihi videtur fuisse hos epistatas templi antistites, qui cum alias eius res procurabant, tum accipiebant dona dei hieropoeis, si non ipsi aderant, tradenda.[73]) Simillimum est, quod in donis aliquot pro *ἐπιστατοῦντος τοῦ δεῖνα* verbis scriptum legitur *ἱεράζοντος τῷ Ἀσκληπιῷ τοῦ δεῖνα*:[74]) scilicet in Aesculapii templo cum antistes proprius non esset, sacerdos antistitis quoque officiis fungens dona accipiebat hieropoeisque tradebat. Optime quadrat, quod rarissime est adscriptum epistatae nomen regum vel aliorum hominum clariorum donis — his maiores magistratus vacabant, donatores humiliores, quorum ne nomina quidem afferuntur, antistites adibant. Quodsi revera epistatae ludis celebrandis praefuissent, primo loco certe regum dona et legationum sacrarum accepissent. Neque epistatarum munus magno fuisse honore vel inde apparet, quod eo functi videntur iuvenes, antequam maiores magistratus peterent: Cineam enim epistaten eundem esse atque illum, qui tredecim post annis Sotele archonte (a. 219) hieropoei munere est functus, pro certo habeo propter nomen raro usitatum; verisimile etiam credo Apaturium, qui epistates fuit Chaerea archonte (a. 195), non diversum esse ab illo, qui anno insequenti quaestoris, a. 191 et 188 hieropoei, a. 183 archontis munere est functus. Quibus rationibus omnibus ut sententia mea firmatur, ita quid ei obstet, non video: nam praeter rerum dei administrationem, quae hieropoeorum erat, praeter sacrificia, quae a sacerdote Apollinis

---

72) Demar. arch. inv. lin. 75. 73) Ut Athenis quoque scimus in templis epistatas fuisse: C. I. A. I, 32, A. lin. 18. 74) Demar. arch. inv. lin. 43—45 et 47—48: quinque habes exempla.

fiebant, praeter sollemnium celebrationem, quam ad archontes pertinuisse perspeximus, multa alia negotia minora fuisse consentaneum est in templo praesertim tam vasto splendidoque, quae obirentur a magistratibus minoris et aetatis et dignitatis — non omnia omnes decent. Accedit, quod aedificium prope templum iam tempore dominationis atticae exstabat ἐπιστάσιον appellatum,[75]) ubi habitasse eos, dum munere suo fungebantur, ipso nomine demonstratur. Haec sunt, quae comperta habeo de ἐπιστατῶν munere, nisi quod multis titulorum locis probari addendum est fuisse id annuum.[76])

---

75) C. I. A. II, 814^{b}, lin. 30.

76) Hic adiciam epistatarum (ut supra trittyarchorum) catalogum, e rationibus Demare archonte scriptis aliisque titulorum fragmentis, quae ab Homollio in libro »Archives« etc. variis locis afferuntur, excerptum, cum horum etiam nomina vir ille doctissimus in fastos suos non omnia nescio qua de causa receperit:

Archontes	Epistatae
Dexicles a. 232:	Cineas (Demar. inv. l. 112).
Scylacus a. 230:	Aristides Mnesalci f.
	Semus Cosmiadis f.
	Bulon Tynnonis f. (Homolle).
Amphoterus a. 228:	Heraclides Echecratis f. (Demar. inv. l. 51).
Polystratus a. 224:	Telesander (ibid. l. 48).
Milichides a. 221:	Stesileus (Sosistrat. inv. ined. l. 14).
Charilas a. 220:	Helicander (Demar. inv. l. 47).
Soteles a. 219:	Satyrus Pyrrhidis f. (Homolle).
Apollodorus a. 217:	Phillis (Sosistrat. inv. l. 14 sqq.).
Tlesimenes a. 216:	Demoson (ibid. lin. 15).
Pantaenus a. 215—9 ?:	Ocynides (Demar. inv. l. 42).
Sotion a. 208:	Tlepolemus (Sosistrat. inv. l. 14 sqq.).
Callias a. 206 ? ?	Amphithales Philonymi f. (Demar. inv. l. 158—159).
	Milichides (ibid. l. 20).
	Ostacus (Sosistrat. inv. l. 14 sqq.).
Amnus a. 204:	Polyxenus (Sosistrat. inv. l. 14 sqq.).
Telemnestus a. 203:	Echecratides, Arist . . . . os.
	Leophantus (Bull. d. Corr. Hell VII, p. 116).
Heraclitus a. 199:	Diodotus (Demar. inv. l. 64).
Chaereas a. 195:	Hebdomiscus.
	Apaturius (Homolle).

Neque minus ambigitur de munere logistarum (λογισταί). Facillime animum induxeris eodem esse eos officio functos atque Atheniensium magistratus huius nominis notissimos, praesertim cum in civitate deliaca, ubi tot magistratus pecuniis administrandis operam dabant, exstare debuerit collegium, quod rationes ab iis redditas probaret. Sed negat Nenz tale fuisse eorum munus atque ministros agnoscere sibi videtur templi quosdam mercede conductos:[77]) hoc certe falsum est, cum non merces iis pensa dicatur, sed ἐφόδια sexagenarum drachmarum singulis,[78]) viatica autem dari sint solita etiam legatis civitatis,[79]) quos nemo dicere audeat esse mercede conductos. Praeterea, quod quidem Nenz scire non potuit, Phillis Posidici f., logista a. 269, est hieropoeus creatus a. 268, archon etiam a. 259 (paternum nomen semper adscribitur) et, quod gravius etiam videtur, Xenocrates Hierombroti f., qui iam a. 252 hieropoei erat munere functus, duobus post annis logista factus est, fortasse etiam archon a. 244 (hic enim patris nomen omissum).[80]) Magistratus igitur, quem ne ei quidem, qui hieropoei munere functi erant, aspernabantur et a quo ad summos in republica honores escendere licebat, non erat hominum mercennariorum. Concedendum est sane Nenzio vix posse causam excogitari, cur viatica logistae acceperint, si eorum provincia eisdem quibus logistarum atticorum erat circumscripta finibus. Si igitur credit Nenz fuisse eos »pecuniarum templo debitarum exactores et tabularum templi reditus annuos continentium auctores«, non habeo, quod contra dicam, nisi nihil de utraque re memoriae esse traditum. Et primum quidem pecuniae a debitoribus dei exigendae munus non satis probabile mihi videtur et credo

---

Archontes	Epistatae
Empedus a. 187:	Agesimbrotus (Demar. inv. l. 173).
Phocaeeus I a. 181:	Diactorides.
Xenotimus a. 179:	Milichides.
Oeneus a. 178:	Philonymus.
Phocaeeus II a. 177:	Apaturius.
Periander a. 173:	Democritus Timocratis f. (ultimi quinque sunt omnes ex Homollii fastis desumpti).

[77]) Nenz. Quaest. del. p. 13. [78]) Demar. arch. rat. lin. 203—204.

[79]) Cfr. exempli gratia: C. I. A. II, 15b, lin. 11—12 aut 311, lin. 49: δοῦναι δὲ ἐφόδια τῶν πρέσβεων ἑκάστῳ τὸ τεταγμένον. [80]) Ad haec cfr. fastos deliacos ab Homollio compositos.

ab ipso Nenzio nullam aliam ob causam esse statutum, nisi viatica cur iis darentur, ut explicaret; equidem censeo acquiescendum esse, dum aliis quoque rationibus hieropoeorum publici iuris factis denuo ἐφοδίων mentionem inveniamus, cum ad eam sententiam inclinem nescio quo casu hic factum, ut viatica acciperent logistae. Alterum vero officium tabulas illas conficiendi minime abhorret a logistarum munere, quale equidem intellego: cum enim hieropoeorum inprimis iis rationes probandae essent, facile est ad credendum curasse eos στήλην proponendam, in qua scriptum esset, quantum quotannis locationum, vectigalium, usurarum secundum legem redire deberet. At tenendum est divinando haec esse inventa, certi nihil traditum, ne de numero quidem, qui tamen fuisse videtur quinarius: is enim maximus est, cuius mentio unquam fiat, cum aliquotiens tres appellentur, Demare archonte quattuor.[81])

Postremo commemorandi sunt ἀγορανόμοι tres, in annos singulos creati, quibus fori et fortasse urbis viarum cura permissa erat, praeterea e Nenzii coniectura satis probabili omnium aedificiorum publicorum, cum in operibus elocandis adfuisse eos sit traditum.[82]) Praecipuum certe eorum munus erat, ut in foro pondera mensurasque inspicerent punirentque venditores, si qui falsis uterentur, atque ad eam rem asservarent metrorum omnium specimina publice constitutorum: affirmare hoc possemus aliarum civitatum exemplo freti, etiamsi nihil nobis traditum esset de libra minore in ἀγορανομίῳ posita (τῷ ζυγῷ τῷ ἐλάττονι τῷ ἐν ἀγορανομίῳ)[83]). Semel etiam scriba eorum appellatur, sed mire sane γραμματεὺς ἱεροποιῶν καὶ ἀγορανόμων nominatur,[84]) quod casu potius factum esse putaverim, ut idem homo ambobus magistratuum collegiis appareret, quam semper fuisse haec munera coniuncta.

Hi sunt reipublicae deliacae magistratus ordinarii, qui quidem adhuc innotuerint, neque me quicquam omisisse credo, quod de singulis dici vel cognosci possit; de omnibus tamen pauca sunt adicienda. De nullo quidem certa ratione constat, fueritne sorte an suffragio electus; sed si fastos diligentius perscruteris, multa

---

[81]) Cfr. fastos deliacos ab Homollio constitutos sub annis 269, 250, 246 et Demar. arch. rat. lin. 204. [82]) C. I. G. 2266, lin. 28—29 et B. lin. 7—9. [83]) Sosisthen. arch. rat. ined. lin. 142—143.

[84]) C. I. G. 2266, lin. 28.

nomina diversis annis in variis magistratuum collegiis invenias repetita, cuius rei exempla nonnulla e quaestorum et hieropoeorum collegiis attulit Homollius, alia equidem, cum de scribis epistatisque verba feci — quin etiam paene totarum familiarum stemmata e fastis restituere possis: quod non video quomodo fieri potuerit, si sortito ex universis Deliis magistratus capiebantur, facile vero intellegitur, si a populo electos statuimus, cum semper etiam Athenis suffragiis praestantissimus quisque genere vel divitiis ad summos magistratus gerendos efferretur. Quaestores quidem hieropoeosque certum mihi videtur esse electos: cum enim ter legamus binos quaestores aliquot annis interiectis eosdem simul hieropoeorum munere functos[85]) atque hoc factum esse viginti fere annorum spatio, vix quisquam invenietur, qui de casu cogitet. Dubitare tantummodo licet de archonte, quem in multis civitatibus scimus sorte creatum, cum inter triginta archontum, qui inde ab Epictemone usque ad Amphiclem hoc munere sunt functi, nomina quindecim non amplius occurrant, quae etiam in quaestorum hieropoeorumque catalogis inveniantur.[86]) Sed primum non est obliviscendum ex singulis hieropoeorum collegiis non plus binos esse nobis notos, cum quaterni essent; deinde varia atque mutabilis semper populi gratia — quem modo amavit, odit, ignotum hodie hominem cras ad summos honores effert; postremo archontes suffragiis electos esse maximum mihi documentum videtur illud, quod inter quindecim illos, quorum nomina attuli, non minus quinque summum hunc magistratum adepti sunt anno post, quam hieropoeorum munus administraverunt.[87]) Fortasse satis magnus eorum archontum numerus,

---

[85]) Antigonus et Apollodorus quaestores a 206, hieropoei a. 197; Empedus et Apaturius quaestores a. 194, hieropoei a. 188; Telesarchides et Praximenes quaestores a. 186, hieropoei a. 183.

[86]) Cosmiades a. 198 (hierop. a. 199), Diogenes a. 197 (hierop. a. 203), Apollodorus a. 196 (quaest. a. 206, hierop. a. 197), Polyxenus I a. 193 (hierop. a. 202), Telesarchides I a. 189 (quaest. a. 202), Empedus a. 187 (quaest. a. 194, hierop. a. 188), Demetrius a. 185 (hierop. a. 186), Apaturius a. 183 (quaest. a. 194, hierop. a. 188), Telesarchides II a. 182 (quaest. a. 186, hierop. a. 183), Phocaeeus I a. 181 (hierop. a. 192), Phocaeeus II a. 177 (quaest. a. 180), Polyxenus II a. 176 (hierop. a. 180), Parmenion a. 174 (hierop. a. 182), Theodorus a. 172 (hierop. a. 176), Timoxenus a. 171 (hierop. a. 176).

[87]) Cosmiades a. 198, Apollodorus a. 196, Empedus a. 187, Demetrius a. 185, Telesarchides II a. 182.

qui neque quaestores neque hieropoei unquam fuerunt, etiam inde explicari potest, quod hi, utpote quibus magnarum pecuniarum administratio commissa esset, tantum ex hominibus electi sunt certum censum possidentibus, ut Athenis quoque factum esse scimus in *ταμίαις τῆς θεοῦ*, cum archontis munus omnibus civibus pateret. Unum etiam videor investigasse mihi testimonium ad sententiam hanc confirmandam: nonnunquam in titulis legitur in quaestoris aut hieropoei intra muneris tempus mortui locum successisse vel heredem illius[88]) vel puerorum tutorem,[89]) quod per se ipsum satis mirum est, sed facile intellegitur, si magistratus hos quodammodo civitati oppignerasse rem suam familiarem sumimus — nolebat civitas pignus heredibus remittere, antequam pecuniae publicae ratio reddita esset, neque ab alio cive postulare poterat, ut simul cum munere alienae fortasse culpae poenam in se susciperet. Quod ita si fuit, apparet pauperes, quibus res familiaris nulla, nullum pignus esset, quaestorum et hieropoeorum munere exclusos fuisse.

De magistratibus minoribus, epistatis, logistis, agoranomis, certi nihil dici potest, sed multo verisimilius est electos eos esse, non sorte creatos, notionibusque nostris de institutis Graecorum plane adversaretur, si parva haec munera sortito, maiora illa suffragiis delata essent. Unum restat quod monere velim: apparet usitatum fuisse in civitate deliaca certum honorum cursum, liberiorem sane neque tam severa lege circumscriptum quam Romae, sed saepius tamen servatum, quam ut a casu repeti possit. Et primum quidem videntur iuvenes nobiles trittyarchi munus petivisse, deinde ad minores reipublicae magistratus accessisse, epistatae, agoranomi, scribae hieropoeorum scribaeque *τῆς πόλεως*, quem inter hos maxima dignitate fuisse apparet, postea iam quaestoris et paucis annis interpositis hieropoei munus ambisse, postremo ad summum honoris gradum escendisse archontis. Eis autem annis, qui inter singulos magistratus gestos intercedebant, senatorum certe muneribus sunt functi, forsitan plus quam semel, vel in rebus extraordinariis administrandis, de quibus infra verba faciam, officia sua reipublicae

---

[88]) Ut exemplum afferam, Demar. arch. inv. lin. 135: *παρὰ ταμίου Φωκίωνος καὶ τοῦ κληρονόμου τοῦ Πολυβούλου Παρμενίωνος.*

[89]) Cfr. Demar. arch. inv. lin. 113: *παρὰ ταμιῶν Ποσειδίππου καὶ τοῦ ἐπιτρόπου τῶν παιδίων τῶν Μνησιμάχου Οἰνέως.*

interdum praestiterunt; saepissime quidem factum esse apparet, ut e duobus quaestoris hieropoeique muneribus, quae eandem fere dignitatem habuisse videntur, altero uno tantum fungerentur, atque idem in magistratibus quoque minoribus fieri solitum esse inde suspicor, quod numero pauciores erant, quam ut ab unoquoque geri possent, qui superiorem honoris gradum appeteret, praesertim cum constet satis multos nunquam ultra processisse. Cuius rei in fastis nostris reipublicae deliacae, quamvis in paucis annis sint uberiores, atque ne hic quidem nisi in summorum magistratuum catalogis, plurima tamen inveniuntur exempla, quorum ut sint nonnulla minus certa — quoniam periculum est, ne, qui eadem habuerunt nomina, eosdem fuisse putemus — satis multa non dubia remanent. Atque ad ea, quae iam attuli de singulis magistratibus disserens, pauca adiciam:[90])

Theoprotus Epicharmi f.	scriba hieropoeorum a. 250. hieropoeus a. 247.
Mennis Nicarchi f.	scriba τῆς πόλεως a. 241. archon a. 236.
Semus Cosmiadis f.	epistata a. 229. hieropoeus a. 217.
Cosmiades Semi f.	trittyarchus a. 205. hieropoeus a. 199. archon a. 198.
Hierombrotus Amni f.	scriba τῆς πόλεως a. 220. hieropoeus a. 218.
Amnus Hierombroti f.	trittyarchus a. 182. hieropoeus a. 178.
Paches Anaxithemidis f.	trittyarchus a. 198. quaestor a. 191.
Anaxithemis Pachetis f.	quaestor a. 179. hieropoeus a. 170.
Apollodorus Mantithei f.	scriba τῆς πόλεως a. 208. quaestor a. 206. hieropoeus a. 197. archon a. 196.

[90]) Utor hic quoque fastis deliacis ab Homollio constitutis.

Apaturius { epistata a. 195.
quaestor a. 194.
hieropoeus a. 191 (?) et 188.
archon a. 183.

Praeterea est tenendum hieropoeorum binos e quaternis eosque non per omnes annos notos esse, quaestorum usque ad tertii saeculi exitum ne unum quidem, scribarum amborum vix triginta nomina tradita, *ἀγορανόμων* — dictu est ridiculum — unius modo collegii nomina, trittyarchorum e duodenis quotannis creatis per viginti fere annorum spatium binorum esse mentionem factam, nomina denique paterna plerumque omissa, ut perdifficile sit discernere, utrum diversis annis variisque in muneribus idem homo occurrat, an diversi eodem nomine appellati.

Extraordinarii magistratus non ita multi in titulis deliacis occurrunt, cuius rei causa non difficilis est intellectu; atque eos etiam, quos huc referendos putavi, si quis contendere velit fuisse ordinarios — non habeo, quod contra dicam. Maxime dubia res est de *σιτώναις*, quos constat tres viros fuisse frumento publice emendo in annum unum electos;[91]) sed cetera omnia ambigua sunt. Fuerintne unoquoque anno creati ideoque ordinarii, ex iis, qui adhuc innotuerunt, titulis non perspicitur, cum etiam (quae mea est sententia) cogitare liceat ad difficultatem aliquam annonae levandam et pecunias esse publicas impensas per Phocaeei Demarisque archontum annos duos et magistratus, qui frumenti copiam necessariam compararent, constitutos extraordinarios. Neque illud adversatur, quod Masannassam regem scimus Demare archonte, vel potius iam anno superiore, civitati donasse tria milia fere medimnorum frumenti.[92]) Quin etiam non vererer hoc asseverare, si certum esset in tot hieropoeorum rationibus superstitibus duorum tantum *σιτωνῶν* collegiorum mentionem fieri, quae in fastos recepit Homollius;[93]) sed nescio an hic quoque ut in epistatis trittyarchisque sat habuerit vir doctissimus nomina sibi fortuito in legendo occurrentia afferre, cum certe in collegio, quod Demare archonte hoc munere est functum, errorem quendam admiserit. Non enim Hermon, Semus, Solon tresviri frumentarii hoc

---

91) Demar. arch. rat. lin. 100. 92) Demar. arch. rat. lin. 100—106.
93) Sub annis 193 et 180.

anno fuerunt, quorum in frumenti a Masannassa donati rege venditione solo Artemisione mense mentio fit ter[94]) ne semel quidem σιτωνῶν nomine addito, sed Amnus, Phanus, Phillacus, qui et σιτῶναι quater plane appellantur[95]) et non solum partem frumenti numidici vendidisse,[96]) sed etiam ter variis mensibus (primo, quinto, nono) ad emendum magnam pecuniae publicae summam accepisse dicuntur.[97]) Itaque res in dubio manet. Quod autem Nenz sibi persuasit pecunias e frumenti publice empti venditione perceptas in aerario publico depositas esse eo consilio, ut denuo ad frumentum emendum adhiberentur[98]) — errat: deponuntur quidem in arca publica (nam non esse aerarium hoc publicum iam vidimus) pecuniae e frumenti venditione perceptae, sed eius tantum, quod Masannassa dono dederat, et utrum ad frumentum denuo emendum an ad alium quendam usum depositae sint, ne hic quidem dicitur. Ceterum quinquaginta plus milibus drachmarum σιτώναις ad frumentum emendum traditis ne unum quidem obolum videmus ab iis e vendito relatum in κιβωτὸν δημοσίαν — neque verisimile: nam si singulis annis et ex aerario publico a quaestoribus iis traderentur quinquagena milia drachmarum εἰς σιτωνίαν et accederet frumenti venditi pretium, quod ipsi in arca publica in templo asservata deponerent, quanta paucis annis pecuniae summa evaderet? Equidem minime negaverim pecuniae Demare archonte tribusviris frumentariis εἰς σιτωνίαν solutae partem quandam fluere potuisse e pretio frumenti anno superiore venditi (quamquam ne illud quidem, sitne Phocaeeo archonte frumentum vel emptum vel venditum, traditum est memoriae), sed illud magnopere assevero non fuisse aerarium quoddam frumentarium (sit venia verbo) lege constitutum. Neque causa aerarium tale constituendi satis perspicitur: si tantidem venibat frumentum, quanti erat emptum, cur sibi ipsa civitas negotia facesseret? sin autem minoris — et certe drachmae trinae vel paullo amplius pro singulis numidici frumenti medimnis ac-

---

94) Demar. arch. rat. lin. 102, 104, 105. 95) Ibid. lin. 100, 127, 132, 139. 96) Mense Lenaeone: Demar. arch. rat. lin. 100. 97) Mense Lenaeone 18 560 dr. (ibid. lin. 122—127), Thargelione — totidem (ibid. lin. 129—132), Buphonione — 18 560 dr. $1/2$ ob. (ibid. lin. 132—139): τοῦτο ἔδομεν τοῖς σιτώναις Ἄμνῳ, Φάνῳ, Φιλλάκῳ — omnibus locis repetitur. 98) Nenz, Quaest. del. p. 9.

ceptae minus erant, quam quanti emi poterat: sed hoc fuit frumentum civibus dono datum, de illo publice empto, quanti venierit, plane ignoratur — si minoris inquam, ut perpetuam populi *ἑστίασιν* sumamus, brevi aerarium exhaustum esset. Nisi igitur quis mihi demonstraverit contrarium prorsus in titulis scriptum legi, persuasum habebo neque pecunias certas Deli *εἰς σιτωνίαν* esse reservatas neque *σιτώνας* fuisse magistratus ordinarios, sed electos esse pro re et tempore ad annonae difficultatem levandam. Ne quis obiciat *σιτώνας* atticos, primum novimus »Athenienses omnium hominum plurimo frumento advecticio usos«, ut ait Demosthenes,[99]) deinde hos quoque demonstrandum est fuisse revera magistratus ordinarios liberae Atheniensium reipublicae — *σιτωνικὸν ταμιεῖον* certe non ante imperatorum romanorum constitutum est aetatem,[100]) qua consueverat populus largitionibus divitum vivere.

Minus etiam *ἐπιμεληταὶ* quin fuerint magistratus extraordinarii pro necessitate a populo electi, licet dubitare. Quorum de munere constat praefuisse eos cum operibus publice faciendis tum imprimis templis restaurandis: praecipuum autem eorum officium, ut tituli demonstrant, erat positum in operibus *ἐργώναις* elocandis, inspiciendis, probandis secundum condiciones diligentissime ab architecto perscriptas et populi decreto sanctas, quarum specimen est Delo oriundum marmor quod dicunt Arundelianum,[101]) quod ad Pyrrhidis archontis annum (297 a. Chr. n.) rettulit Homollius ratiocinatione usus nulli dubitationi obnoxia.[102]) temporis iniquitate misere mutilatum, clarissimum vero ac fortasse plenissimum Philonis sceuothecae nobilissimae lex,[103]) praeterea aliae aliis e locis.[104]) Sed magna difficultas inde oritur, quod horum curatorum provincia in aliis civitatibus alia ratione erat constituta, ut aut per definitum temporis spatium (annuum plerumque) omnibus operibus publice faciendis praeessent, aut certi tantummodo operis curam haberent. Atque haec ratio Athenis usitata fuit, ubi Parthenoni aedificando,[105])

---

[99]) Dem. XX (in Leptinem), 31. [100]) C. I. A. III, 645. [101]) C. I. G. 2266: nuper melius editum a Fabricio in Hermae vol. XVII, p. 1 sqq. cum commentario locupletissimo. [102]) Homolle »Archives« etc. p. 117—118. [103]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 540 (Foucart) = Herm. XVII, p. 551 (Fabricius). [104]) Cfr. Ern. Fabricii, de architectura graeca commentationes epigraphicae. Berol. 1881. [105]) C. I. A. I, 289—311.

Propylaeis exstruendis,[106]) moenibus urbis sarciendis[107]) singula praefuisse scimus curatorum collegia. Deli quidem illa in usu fuisse videtur, quantum quidem iudicare licet ex hoc Hypsoclis rationum loco, ab Homollio allato:[108]) *τάδε ἔργα ἐξεδώκαμεν* (hieropoei scilicet) *κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου μετὰ τοῦ ἀρχιτέκτονος καὶ τῶν ἐπιμελητῶν, οὓς εἵλετο ὁ δῆμος.* Quamquam ne hic quidem locus satis clarus est: potest enim aut intellegi *ἐπιμεληταῖς* quibusdam omnium operum, quae eo anno faciendae essent, curam commissam aut populi de operum locatione decreto singula delata esse singulis collegiis. Atque hoc ne verisimilius putemus, quod verba illa *ἐπιμελητῶν, οὓς εἵλετο ὁ δῆμος*, aliter si fuerit, vanum atque inutile additamentum videantur — neminem enim dubitare potuisse, quin non suo aut hieropoeorum arbitrio, sed populi auctoritate essent constituti —, verbosae prolixitati titulorum huius aetatis ne nimium tribuamus cavendum esse constat. Quoquo autem modo res se habet, concedendum est facile evenire potuisse, ut *ἐπιμεληταὶ* deliaci in tot aedificiis sacris publicisque, quibus et *τέμενος* dei et tota insula erat referta, modo exstruendis modo sarciendis quasi ipsa rerum natura e magistratibus extraordinariis, qui pro necessitate constituerentur, fierent ordinarii, cum unoquoque anno necesse esset quaedam aedificari. Qua tamen re magistratus huius natura minime immutatur meoque iure fecisse mihi videor, quod hanc commutationem fortuitam (ut sit revera facta) neglexi atque epimeletas inter magistratus extra ordinem creatos rettuli, hic praesertim, ubi divisio tota commoditatis tantum causa instituta sit. An periculum erat, ne labefactaretur ordo reipublicae deliacae, si per aliquot etiam annos opera nulla publice fiebant ideoque ne curatores quidem eorum eligebantur? At archontis vel hieropoeorum munere sublato vel etiam agoranomorum mercaturae bonae fidei securitatique publice providentium, quin tota reipublicae disciplina funditus esset eversa, non est dubium. Hoc puto inter magistratus ordinarios atque extraordinarios discrimen esse, non illud, sintne revera quotannis creati an non.

Simili fere munere videntur functi *μάρτυρες*, qui eligebantur a populi contione, ut una cum magistratibus adessent in operibus

---

106) C. I. A. I, 314—315. 107) C. I. A. II, 167. 108) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 78, not. 1: Hypsocl. arch. rat. lin. 44.

publicis elocandis, antequam credo *ἐπιμελητῶν* munus esset institutum. Nam hi *μάρτυρες ἰδιωτῶν*, ut appellantur (quos cave cum *ἐπιμεληταῖς* confundas, quippe qui non *ἰδιῶται* fuerint, verum *ἀρχή*) in eodem occurrunt marmore Arundeliano,[109]) ubi nonnulla iam invenimus singularia — eundem hieropoeorum atque agoranomorum scribam, deinde undecimviros, de quibus statim verba faciam —: quae omnia satis explicantur tituli aetate, quem ad prima paene tempora reipublicae deliacae liberae referendum esse Homollius ex titulis a se inventis demonstravit.

De *τῶν ἕνδεκα*, quos modo commemoravi, munere dici nihil potest, quod semel occurrunt inter testes publicos, qui in operibus elocandis aderant.[110]) Quod Nenz monet diversum eorum munus fuisse ab undecimvirorum Atheniensium munere, recte illud quidem se habet, sed supervacaneum est, quoniam nomina talia a magistratuum numero petita, si variis in civitatibus inveniuntur, nemo sana mente praeditus conferre potest. Coniectura si licet uti, facillime animum induxerim, fuisse illos undecimviros prytanes reipublicae, quod hi saepissime hieropoeis adfuerunt in rebus gerendis. Quamquam dubitationem illud movet, quod, si ita res fuit, non nomine suo designantur, sed numero, cuius rei nullum mihi aliud exemplum praesto est. In medio igitur res relinquenda est.

Munerum illorum, quibus solebant in plurimis civitatibus graecis divitissimi cives onerari *λειτουργιῶν* nomine, Deli unum tantummodo innotuit — choragia. Choragorum constanter mentio fit in titulis quibusdam, quos ob ipsam hanc causam choragicos appellare consuevimus: in illis enim statim post formulam quandam boni, credo, ominis causa semper praemissam (*ἐπὶ τοῦ δεῖνα ἄρχοντος ὑγίεια καὶ εὐετηρία ἐγένετο*) perscribebantur eorum nomina, qui ludis magnis annuis, Apollineis et Dionysiis, choros varios suis sumptibus instructos in scaenam produxerant, secundo loco eorum, qui *τῷ θεῷ ἐπεδείξαντο*, artificum scilicet varii generis; interdum duabus his titulorum partibus interponitur, ut iam dictum, vasculorum ab archonte asservatorum catalogus. Tales tituli publici iuris sunt facti duodecim ad annos pertinentes archontum Aristocriti (a. 284 a. Chr. n.), Cleostrati (a. 282), Charmi (a. 280), Hypsoclis (a. 279),

---

[109]) C. I. G. 2266, lin. 29 et B. lin. 9sqq. [110]) C. I. G. 2266, lin. 25.

Callimi (a. 268), Proclis (a. 265), Archedamae (a. 263) — hi septem in uno lapide scripti — Phillios (a. 259), incerti cuiusdam, qui post Amphiclem (a. 260) est functus munere, Sosistrati (a. 201), Theodori (a. 172), Timoxeni (a. 171).[111]) De officiis quidem choragorum nihil plane discimus, sed quin eadem fere fuerint, atque Athenis lege sancta erant, non est dubitandum; neque minor aemulatio certe erat aut sumptus minores. Producti sunt in scaenam chori, ut iam dixi, bis quotannis: Apollineis et Dionysiis. Apollineis unius tantum generis chori inter se certabant — puellarum, ut hic graecum *παίδων* latino sermone vertere placet: atque hi sunt sine dubio inclutissimi illi virginum Deliarum chori iam in hymno ad Apollinem Delium summis laudibus celebrati, *κοῦραι Δηλιάδες* vel *Δηλιάδες* simpliciter saepissime in titulis nominatae.[112]) Qui puellarum chori certe primi omnium habebantur et instruebantur summa cura maximoque apparatu ac sumptu atque victoria iis parta tantum ceteris excellebat, quantum Athenis Dionysiaca praestabat Lenaicae; ideoque et quia maximo festo deliaco prodibant in publicum, etiam in catalogis primo loco commemorantur. Fortasse etiam haec eorum sanctitas (*ἱεροὶ τῶν παίδων χοροί* in titulis duobus[113]) appellantur) causa fuit, cur praeter illos nulli chori alii Apollineis producerentur, ne ab eis distraherentur spectantium animi. Ut autem quaterni virginum chori quotannis decertabant, ita quaterni etiam choragi erant, qui eos instruebant, omnes certe e civium numero electi. Dionysiis vero triplices laudantur chori: *παίδων*, *κωμῳδῶν*, *τραγῳδῶν*. *Παίδων* quidem choros hos non puellarum credo fuisse, sed puerorum: ne quis mihi obiciat non potuisse uno eodemque nomine utrosque appellari, si diversi fuissent, homo deliacus vel adeo quivis graecus haec legens certe non nesciebat, utri essent virginum, utri puerorum, Dionysiis autem non minus certum est puellas ingenuas non saltasse neque cecinisse in publico, quam Apollineis hoc Deli fieri esse solitum. Puerorum choros item quaterni choragi producebant, item e civium numero electi. Choros vero

---

[111]) Undecim primi: Bull. d. Corr. Hell. VII. p. 103—121; duodecimus: ibid. IX, p. 146—157. [112]) Ut exempla afferam: Demar. arch. inv. lin. 45, 90, 128, 139; commemorantur etiam quater in Hypsocl. arch. inv. lin. 51—60, quas e titulo adhuc inedito protulit Homollius: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 137. [113]) Bull. d. Corr. Hell. II, p. 331 et IV, p. 351.

comicos et tragicos, quos minore honore fuisse vel ex loco, in quo perscribebantur, patet, instruebant quotannis quaterni ex civibus, bini ex metoecis[114]) choragi. Itaque videmus ad choros omnium generum instituendos esse e civibus electos quaternos quotannis choragos, qui numerus quin cum phylarum numero cohaereat, mihi non est dubium, ad comicorum autem et tragicorum sumptus etiam binos quotannis metoecos contulisse. Ad inquilinos vero homines quod neque puerorum neque virginum chori pertinebant, minime est mirum, cum multis exemplis constet ad hos non esse admissos nisi civibus parentibus natos.

Nemo, cui didascaliae atticae non ignotae sunt, mirabitur Deli quoque interdum choros comicos tragicosque non productos — nam παίδων choros utriusque generis vix unquam credo omissos, quamvis deficiant documenta —, mirum tantummodo videri potest in undecim titulis choragicis (unus enim[115]) tam lacer est, ut de eo nihil dici possit) non saepius quam semel huius rei mentionem fieri: anno Timoxeni archontis (a. 171) nulli choragi tragici appellantur, cum inter artifices tragoediae actores commemorentur;[116]) quod vero in lapide, in quo iam dixi septem annorum catalogos exstare incisos, non continua est annorum series, ut exspectamus quidem, hoc casu potius factum esse existimo, non quia annis interpositis omnino non essent ludi celebrati, cum non sit verisimile per viginti duorum annorum spatium quaterdecies ludos esse intermissos. Pauca sunt, quae praeterea dici possint de choragorum instituto, cum documentis nostris nihil contineatur nisi nominum laterculi; quaedam tamen investigasse mihi visus sum ex ordine ipso, quo sunt scripta. In sex quidem titulis[117]) talis est ordo, ut post κωμῳδῶν et τραγῳδῶν verba primum quaterni civium choragi appellentur, deinde bini metoecorum — nihil inde proficimus. In quattuor vero[118]) aliter sunt nomina disposita, ut primum utroque loco commemorentur bini choragi civiles, deinde singuli inquilini, iterum bini cives singulique metoeci; cuius ordinis inusitati causa non satis perspicua explicatur titulo duodecimo, ubi victo-

[114]) Metoeci nisi in titulis choragicis non commemorantur, quam ob rem de eorum condicione nihil dici potest. [115]) Nonus: Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 115. [116]) Duodecimo in titulo: Bull. d. Corr. Hell. IX, p. 146. [117]) II, IV, V, VI, VII, VIII. [118]) I, III, X, XII.

rum quoque nomina afferuntur, quibus cum choragorum nominibus collatis videmus duos cives unumque inquilinum primo loco esse in catalogo appellatos, quorum chori in certamine musico vicerant; cum autem maxime mirum, ne dicam incredibile, sit senis inter se choragis certantibus semper binos cives singulosque inquilinos vicisse, numquam tres cives metoecosque ambos, non video, quomodo hanc difficultatem expediam, nisi legem talem fuisse coniciam, ut metoecus cum metoeco, cives autem inter se de victoria decertarent, ut semper his bina, singula illis darentur praemia. Neque abhorret a ratione lex talis, qua cavebatur, ne cives offenderentur, qui, qua erant superbia, vix tulissent se non modo cum metoecis in certamen descendere, sed etiam ab eis superari.

Ne quid neglexisse videar, moneo Deli quoque ut Athenis eundem hominem aliquotiens potuisse ad choragiam designari, cuius rei exempla complura in titulis modo laudatis servata sunt, idque cadebat non modo in cives, sed etiam in metoecos. His cum plerumque paterna nomina non adscripta sint, quamquam difficile admodum est diiudicare, sitne idem homo duobus in titulis appellatus an alius eiusdem nominis, unum tamen exemplum afferre possum nulli dubitationi obnoxium: Delicus Drimaci f. (et ipsius et patris nomina tam sunt inusitata, ut mirum admodum sit, si in duobus hominibus occurrant eadem) chorum tragicum instruxit Cleostrato archonte (a. 282),[119]) comicum — Hypsocle archonte (a. 279).[120]) Quod ad choragos e civibus electos attinet, tam multa exempla inveniuntur, ut in notam reicere quam narrationis textum eis onerare malim.[121])

---

119) II, lin. 12. 120) IV, lin. 16. 121) Stesileus Diodoti f.: Apoll. παίδων — arch. Aristocrito (a. 284), Dionys. τραγῳδ. — arch. Charmo (a. 280). Theorylus Diactoridis f.: Dionys. παίδων — arch. Aristocrito (a. 284); Dionys. κωμῳδ. — arch. Cleostrato (a. 282). Androlas Satti f.: Dionys. παίδων — arch. Aristocrito (a. 284); Dionys. κωμῳδ. — arch. Cleostrato (a. 282). Stesileus Scymni f.: Apoll. παίδων — arch. Cleostrato (a. 282); Dionys. κωμῳδ. — arch. Charmo (a. 280). Ergoteles Theophanis f.: Dionys. παίδων — arch. Cleostrato (a. 282); Dionys. τραγῳδ. — arch. Charmo (a. 280). Neocrontides Blepyri f.: Dionys. τραγῳδ. — arch. Cleostrato (a. 282); Dionys. παίδων — arch. Charmo (a. 280). Craton Mnesiadis f.: Dionys. τραγῳδ. — arch. Cleostrato (a. 282); Dionys. κωμῳδ. — arch. Charmo (a. 280). Amphithales Philonymi f.: Dionys. τρα-

Neque illud videtur omittendum esse numero chororum semper eodem manente actorum comoediae et tragoediae variare in titulis numerum inter unum et septem; qui quomodo choros inter se dispertiverint, plane ignoratur. Quibus actoribus omnibus ceterisque artificibus quin sit merces soluta non a choragis neque e dei pecunia, sed ex aerario publico, ut per se dubium non est, ita non desunt testimonia quaedam. Tibicinibus quidem scimus publice quotannis 3000 drachmarum mercedem assignatam, ac praeterea 470 dr. *σιτηρεσίου χορηγημάτων καὶ νικητηρίου* nomine pensas, cuius pecuniae summa iam anno ante in arca publica in templo asservata deponebatur a quaestoribus.[122]) De reliquis nihil cognitum habemus, sed cum unoquoque anno in hieropoeorum rationibus legamus a quaestoribus esse illatas in sacrum aerarium drachmas aliquot — *περιόντας ἀπὸ τεχνιτῶν*[123]) (nullas ad hunc usum inde desumptas esse moneo), non temere conicere mihi videor has superfuisse e pecunia assignata ad mercedem *τεχνίταις*, scil. Dionysiacis,

---

γῳδ. — arch. Cleostrato (a. 282); Dionys. *κωμῳδ.* — arch. Callimo (a. 268). Deinomenes Leophanti f.: Dionys. *παίδων* — arch. Procle (a. 265); Dionys. *τραγῳδ.* — arch. Archedama (a. 263). Sosistratus Amphiae f.: Dionys. *τραγῳδ.* — arch. Procle (a. 265); Dionys. *παίδων* — Archedama (a. 263). Paches Anaxithemidis f.: Apoll. *παίδων* — Callimo (a. 268); Dionys. *παίδων* — Procle (a. 265); iterum — Archedama (a. 263). In septem solis primi lapidis titulis eadem nomina bis (in uno exemplo ter) repetita habemus, sed iam septimus admodum est mutilus, multo etiam magis octavus atque adeo nonus, ut ex iis nihil proficiamus ad nostrum consilium; decimus iam sexaginta annis post septimum est exaratus et inter eum duodecimumque (undecimus enim vix legi potest) rursus triginta sunt interiecti anni, ut nullo modo in choragorum numero eidem homines atque in septem primis appellati esse potuerint.

122) Demar. arch. rat. lin. 85—86 (*ἐπὶ Φωκαιέως Ποσιδεῶνος*), 112—113 (*ἐπὶ Δημάρου Ποσιδεῶνος*); cfr. etiam lin. 127—129, ubi pecuniae summa Posideone anni superioris deposita in arca publica Lenaeone mense Demare archonte dicitur rursus quaestoribus tradita. 123) Demar. arch. rat. lin. 12—13, 16—18, 21—22, 52—53; Amphicl. arch. rat. lin. 28—29, 30—31, 36—37, 52—53, 65—66, 72—73. Semel plenius exstat scriptum (Demar. arch. rat. l. 17): *ὃ ἔφασαν περιγενέσθαι αὐτοῖς ἀπὸ τοῦ διαταχθέντος εἰς τὰ ξένια τοῖς τεχνίταις*, non additur tamen, a quo vel unde esset haec pecunia subministrata, sed cum certe non ex aerario sacro fluxerit, unde eam pensam credas nisi e publico?

publice pendendam, et quoniam deo iam antea essent consecratae, non in aerarium publicum redditas, sed in sacrum illatas — paucae sunt plerumque, octo, sedecim, viginti tres, viginti septem drachmae, quae hoc nomine numerantur. Multo incertior res est de alia quadam summa *τοῦ χορηγικοῦ* nomine in hieropoeorum rationibus perscripta atque quotannis item a quaestoribus, scilicet ex aerario publico, pensa: quam certam fuisse atque lege constitutam discimus non solum inde, quod semper eadem est 486 dr. 4 obol.,[124]) sed magis etiam quod numquam omittitur articulus, nisi semel, ubi tamen pecuniae tertiam tantum partem (162 dr. 1¹/₃ obol.) invenimus numeratam eamque non a quaestoribus reipublicae, sed ab hominibus privatis.[125]) Hanc pecuniam credit Homollius deo pensam quotannis a civitate, ut festis quibusdam subveniret, qui in templo celebrabantur;[126]) sed ut mittam miram videri summam 486 dr. et 4 obol. (num civitas non potuit eas usque ad 500 drachmas augere, vel saltem obolos duos addere, ut plenus drachmarum numerus exsisteret), ut taceam de pecuniae huius ipsius parte a privatis pensa, quomodo expediri potest difficultas, quae inde oritur, quod, Homollii coniectura si vera esset, a civitate quotannis donaretur pecunia ad festa celebranda (et magna quidem, quoniam *χοροὶ* agendi erant), festa autem non celebrarentur — acceptae enim pecuniae fit mentio saepius in hieropoeorum rationibus, nulla fit usquam expensae. Hinc est proficiscendum in causa explicanda, cur pecuniae haec summa deo sit oblata: pensa est aerario sacro, non ex eo expensa. Itaque potest esse vel dono data vel mercedis nomine soluta. Illud quidem non est verisimile — cur enim civitas pecuniam tantam quotannis deo donaret, non *ἀνάθημα* eiusdem pretii offerret, ut saepissime fieri solebat et aliis locis et Deli? Atque unde *χορηγικοῦ* nomen accepisset? Alterum vereor, ne non magis

---

124) Demar. arch. rat. lin. 32—33 (*ἐπὶ Φωκαιέως Ποσιδεῶνος*), 45—46 (*ἐπὶ Δημάρου Ποσιδεῶνος*); Amphicl. arch. rat. lin. 69.

125) Demar. arch. rat. lin. 10. Ceterum occurrit eadem haec tertia pars etiam in Amphicl. arch. rat. lin. 42—43 et invenitur etiam sexta pars (81 dr. ²/₃ ob.): ibid. lin. 46. Ubicunque in titulo hoc, lacunis saepissime obscurato tota sententia exstat integra, videmus semper *χορηγικοῦ* parti pensae addita esse privatorum hominum nomina: lin. 30—31 — *παρὰ Σώσου χορηγικόν*, lin. 42—43 — *χορηγικοῦ Θρασυμήδης*

126) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 75.

verisimile videatur: pro quibus enim rebus ad choros aut choragiam pertinentibus templo merces solveretur? Pro toto ornamento dico et apparatu sollemni in templo asservato deique proprio, qui quotannis choragis permittebatur ad choros suos instruendos. At cur a civitate merces penderetur, non a choragis, qui ad hoc ipsum eligebantur, ut *λειτουργίᾳ* sua rempublicam sublevarent? Certe pecunia haec a choragis est pensa et tradita tantum per quaestores — per quaestores, non per hieropoeos, quoniam choragi ipsi quoque in archontis civitatisque erant potestate, non templi administratorum. Atque documentum huius rei mihi videtur exstare certissimum: in titulo enim choragico, qui Callimo archonte est scriptus, legimus choragos duos (inquilinos Demeam et Dionysium) vestimentorum, quibus Dionysiis essent usi, mercedes non solvisse (*καὶ τῶν ἱματίων τοὺς μισθοὺς οὐκ ἀπέδοντο τῶν εἰς τὰ Διονύσια*);[127]) quae vestimenta certe neque privatim erant ab iis comparata (non enim intererat archontis, utrum pretium esset solutum necne, perscribere in tabulis publice propositis) neque publice iis vendita, sed tantum ex aerario et sine dubio e sacro mutua ab iis sumpta vel potius mercede conducta. Iam intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut tertia *τοῦ χορηγικοῦ* pars in aerarium sacrum inferretur ab hominibus privatis — choragi erant, qui Demeae Dionysiique exemplo mercedem vestimentorum non persolverant iusto tempore, postea vero, aliquot fortasse annis interiectis, pecuniam pro sua parte debitam in aerarium intulerunt, ut nomina sua e debitorum dei tabula eraderentur. Omnia spectanti verisimillima mihi haec videtur ratio *τοῦ χορηγικοῦ* et nomen et vim explicandi.

Nescio an ad liturgias etiam illud referendum sit, quod cives divitiores in se suscipere debebant, munus *προδανειστῶν* et *ἀναδόχων*. His nominibus appellabantur, qui pro republica, cum a deo pecuniam mutuam sumebat, vadimonia dabant. Cuius rei totam rationem illustravit Homollius[128]) allatis locis quibusdam e titulis nondum publici iuris factis: civitas enim non modo oppignerabat deo pro pecunia mutua sumpta omnes reditus publicos,[129]) sed etiam

---

[127]) No. V: Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 109, lin. 17—18. [128]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 69. [129]) Sosisthen. arch. rat. lin. 120—121: *ἐδανείσαμεν* (scil. hieropoei) *τῇ πόλει . . . . ἐπὶ ὑποθήκει ταῖς προσόδοις ταῖς δημοσίαις.*

constituebat praedes sex, quorum e re familiari deo satisfieret, si respublica tempore iusto se aere alieno non liberasset;[130]) pactum totum cum pecuniae debitae summa praedumque nominibus accuratissime perscriptum apud *τραπεζίτην* deponebatur.[131]) Ex iis autem, quos ab Homollio mutuatus sum, titulorum locis apparet fuisse discrimen quoddam inter ambo praedum genera — *προδανειστὰς* et *ἀναδόχους*, neque difficile est, quale fuerit, perspicere: ex ipsis nominibus patet illos fuisse primos sponsores, qui, si civitas non solvendo esset, primi cogerentur aes alienum de suo persolvere, non sufficiente autem eorum re familiari obligationem in se suscepisse (*ἀναδέχεσθαι*) eos, qui secundo loco appellantur saepiusque in rationibus omnino omittuntur praedes — *ἀνάδοχοι*. Ternos fuisse utrosque iam dixi[132]) itemque inclinare me in eam partem, ut munus eorum liturgiam putarem: certe et e divitiorum civium numero eligebantur (quid enim deo profuissent praedes inopes?) et e re sua familiari pecunias a civitate debitas persolvebant (non semper quidem, sed adversis temporibus) — haec autem sunt ambo liturgiae signa; neque tertium, ut munus, quando ad quem certo ordine deveniret, detrectare non liceret, credo defuisse, cum aliter fieri potuerit, ut qui in se suscipere vellet, inveniretur nemo. Non nego plerumque satis multos exstitisse cives, qui ultro se offerendo populi gratiam captarent, cum non magno sumptu aut periculo hoc facere liceret — tranquillis quidem temporibus; sed quid adversis rebus credamus esse factum? Quoquo modo de hac re iudices, certe magistratibus eos non adnumerabis Nenzium secutus, cui vel illud verisimile est visum »eos reipublicae rationem reddere debuisse:«[133]) cuius rei tandem rationem redderent, quaeso — utrum pecuniae a deo mutuae datae, quam ipsi ne digito quidem attigissent, an illius, quam ipsi deo pendere deberent, si civitas debita non solveret?

---

[130]) Charil. arch. rat. lin. 77—79: *ἐδανείσαμεν* (scil. hieropoei) *τῇ πόλει καὶ προδανεισταῖς* — nomina tria — *καὶ ἀναδόχοις* — nomina item tria — *δραχμὰς* XXX. [131]) Charil. arch. rat. lin. 78: *κατὰ συγγραφὴν τὴν παρ' Ἐπικύδει Κριτοβούλου κειμένην τῇ πόλει καὶ προδανεισταῖς.* Sosisthen. arch. rat. lin. 121: *ἡ συγγραφὴ παρὰ* . . . . . [132]) Semel in hieropoeorum rationibus Demare archonte scriptis (lin. 209 sqq.) plures videntur nominati, sed titulus hoc loco tam est mutilus, ut temerarium sit de hac re sententiam proponere. [133]) Nenz. Quaest. del. p. 9.

Ultimos hic nomino duumviros auro et argento flando, quos scimus a populo electos, cum necesse videbatur ad fragmenta supellectilis aureae et argenteae in maiora quaedam *χύματα* conflanda, quod nisi iubente populo fieri non poterat; quin etiam in contione ipsa et tradebant eis fragmenta et recipiebant *χύματα* hieropoei.[134]) Hi homines ad certum munus electi ne nomine quidem proprio utebantur, sed appellantur *οἱ ἄνδρες οἱ αἱρεθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου ὥστε συγχωνεῦσαι*. Eiusdem generis est munus illorum, qui a populo eligebantur *εἰς κοπὴν τοῦ νομίσματος*.[135])

Omnium eorum, qui privati reipublicae operam dabant, saepissime appellantur maximique sunt momenti ad res omnes pecuniarias gerendas negotiatores quidam — *τραπεζίτας* eos nomino Dittenbergeri, viri doctissimi, opinionem secutus: nam in tot rationibus servatis nusquam officii eorum nomen adfertur, sed tantummodo scribi solet pecunias fere omnes, quae hieropoeis quaestoribusque traduntur, esse ab iis acceptas *ἀπὸ τῆς τοῦ δεῖνα* vel *τοῦ δεῖνα*. Homollius quidem supplendum hic putavit *κιβωτοῦ* vel *διοικήσεως*;[136]) at non *ἀπὸ τῆς κιβωτοῦ* dictum esset, sed *ἐκ τῆς κιβωτοῦ*, atque idem statuendum est de *διοικήσεως* voce, quae dubitaverim possitne tali ratione usurpari, ut cum *παραδοῦναι* aut *παραλαβεῖν* verbis coniungatur; itaque malo cum Dittenbergero *ἀπὸ τῆς τραπέζης* supplere.[137]) Ceterum de nomine tantum contentio est, de re ipsa dubium esse non potest, quin non magistratus hic sint intellegendi, sed e negotiatorum numero quidam electi (populi videlicet suffragiis), quorum fidei permitterentur et sacrae et publicae pecuniae accipiendae ab iis, qui ultro deo civitatique quae debebant solverent, exigendae ab illis, qui voluntate non penderent. Et sacras et publicas pecunias dico trapezitis creditas — supra enim iam monui omnes, quae hieropoeis tradebantur, dei fuisse proprias, quae quaestoribus, civitatis. Quod intercessorum munus ad res gerendas omnes maximae erat utilitatis, cum et debitoribus, qui ultro pecunias adferebant, semper certo loco (in *στοᾷ* quadam, ubi *τράπεζαι* commemorantur) ob ipsum negotium suum necessario

---

[134]) Demar. arch. inv. lin. 119—121, 122, 122—123, 123—125.

[135]) Amphicl. arch. rat. lin. 75—76.

[136]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 71—74.

[137]) Opinionem suam communicavit cum Nenzio: Quaest. del. p. 8.

praesto essent, quod ab hieropoeis vel quaestoribus variis officiis occupatis ne postulari quidem poterat, et si quis tardior erat in debitis reddendis, maiore peritia eum in iure persequerentur, quam quaestores vel hieropoei saepissime in litigandi arte minus exercitati. Ipsos autem credo summo studio summaque aemulatione hoc negotiatoris publici et munus et nomen appetivisse, quae ipsis quoque ad res suas gerendas maxime prodessent, cum etiam privati homines, si trapezitae officiis egebant, illum potissimum adirent, cui publice viderent fidem maximam haberi. Neque civitatem eis quicquam pro officiis, quae praestabant, pependisse puto, sed remisisse mercedem pro tabulis in publico positis solvendam, ut quadringenas drachmas, quae quotannis in rationibus scribuntur quaestoribus *ἀπὸ τραπεζῶν* pensae et aequaliter inter sacrum et publicum aerarium distributae,[138]) credam rediisse ex aliorum negotiatorum mensis, quorum Deli certe satis magnus erat numerus. Minime dubium est, quin quotannis hi negotiatores omnium pecuniarum, quas in manibus habebant, rationes reddere debuerint civitatis magistratibus. Quarum rationum exemplum unum invenisse Homollius sibi visus est,[139]) cum in hoc titulo eidem fere reditus scripti exstarent atque in rationibus hieropoeorum, his vero tribui non posset, quia singulari de se numero loqueretur, qui acceperat; et libenter viri doctissimi opinionem sequerer, nisi dubitationem adferret res prorsus singularis: nusquam rationes privatorum hominum scimus lapidi incisas atque, quatenus ad rempublicam pertinebant, *τραπεζιτῶν* horum rationes novimus in hieropoeorum tabulas receptas et non unius mensae, sed universarum — quid enim civium intererat singulorum negotiatorum, quorum officiis utebatur respublica, rationes cognoscere e documentis privatis, cum e publicis hieropoeorum rationibus discere possent, num universi bona fide essent munere functi? Ceterum ex hoc titulo, ut sit referendus ad aliquem

---

[138]) *Τραπεζῶν ἀπὸ τῆς στοᾶς* mercedem videmus 200 dr. in sacrum aerarium relatas Phocaeeo archonte (Dem. arch. rat. lin. 27), Demare (ibid. lin. 46), totidem in arca publica depositas Telesarchide I archonte (ibid. lin. 77), Diocle (ibid. lin. 84—85), Telesarchide II (ibid. lin. 78). Posteriore tempore haec merces imminuta videtur: Parmenione enim archonte 110 dr. tantum hoc nomine sunt relatae in sacrum aerarium (Amphicl. arch. rat. lin. 27—28). [139]) In titulo a Le-Bas edito: II, 2092.

ex negotiatoribus, nihil amplius edocemur de eorum rei gerendae ratione. Unum constat: pensiones cuiusvis generis ab omnibus promiscue factas nulloque discrimine cum hieropoeos, tum quaestores usos omnium officiis — eorum quidem, quibus hoc erat a civitate mandatum. Trapezitarum numerus universorum, quot quidem innotuerunt e titulis iam editis, h. e. e rationibus hieropoeorum scriptis Demare (a. 180), deinde Amphicle (a. 170) archontibus, octonarius fuit; nam Nenzius quod posuit »omnino sex commemorari et plerumque binos rem gessisse, rarius singulos«,[140]) non scripsisset, si rationes Amphicle archonte scriptas (quas ipse saepius appellat) inspexisset[141]) neque satis habuisset, quae inde Homollius attulerat in commentario ad Demaris rationes illustrandas composito loca, in usum suum convertere. In his sane tres tantum *τράπεζαι* commemorantur atque sex negotiatores; sed quod hic semper bini singulis mensis argentariis praeesse dicuntur, non ita est intellegendum, omnia negotia ambos simul administrasse, verum *ἡ τοῦ δεῖνα καὶ τοῦ δεῖνα* nomen erat mensae cuiusque proprium (nostro sermone »Firma« dicimus). Atque nomina haec sunt: *ἡ Νυμφοδώρου καὶ Ἡρακλείδου, ἡ Ἕλληνος καὶ Μαντινέως, ἡ Φίλωνος καὶ Σιλήνου*;[142]) quibus quarta adiungenda est, cuius modo in Amphiclis rationibus mentio fit ibique saepissime — *ἡ Φιλοφῶντος καὶ Πακτύου*.[143]) Cur non etiam in Demaris anni tabulis commemorata est? Quod aut nondum constituta erat, aut certe pecuniae publicae nullae a magistratibus in ea deponebantur: primum hieropoeis Amno, Charilae cum collegis, qui duobus post Demarem annis munere functi sunt, ex hac mensa pensionem esse quandam factam novimus.[144]) Atque ex eodem titulo discimus, quamobrem et Hellen et Philon soli sine sociis suis nominentur: eis orbati erant vel morte vel alio casu humano. Si enim utrisque rationibus adhibitis perscrutamur, quibus annis a singulis mensis magistratus acceperint pecunias traditas, videmus Nymphodori et Heraclidis *τράπεζαν* inde a Telesarchide I (a. 189) usque ad Amphiclem archontem (a. 170) quotannis fere appellari:[145]) aliter

---

140) Nenz. Quaest. del. p. 8 et nott. 5. 6. 141) Bull. d. Corr. Hell. II, p. 570—584, addita tabula XXV. 142) In utrisque rationibus passim occurrunt, ut loca singula afferre supervacaneum sit. 143) In Amphicl. arch. rat. lin. 57—69 quaterdecies appellantur. 144) Ibid., lin. 64—65. 145) Haec discimus collatis Demar. arch. rat. lin. 11—21

res se habet in mensa Philonis Silenique, qui constanter una nominantur inde a Phocaeeo I usque ad secundum huius nominis archontem (181—177),[146]) postea vero inde ab anno Parmenionis non minus constanter solus Philon.[147]) Magis dubia res est de Hellene Mantineoque, qui inde a Diocle (a. 188) usque ad Demarem archontem (a. 180) certe, fortasse etiam longius eandem mensam una administrasse videntur:[148]) cum enim iam Periandro archonte (a. 173), deinde Amphicle (a. 170) Hellen solus appelletur,[149]) quaestores Timophon et Xenon, qui in Homollii fastis ad annum 172 relati sunt, cum ambobus egisse dicuntur itemque eorum successores Mnesiclides et Bulon primo cum ambobus, postea vero cum solo Hellene.[150]) Sed et haec duo quaestorum collegia et omnia fere alia, quae ad ultima liberae reipublicae tempora inde a Demare archonte pertinent, sine ulla dubitatione loco, qui eis in fastis illis tributus est, moveri possunt praeter Xenonem Theocydidemque (sic semper appellatur), quos constat munere functos esse Parmenione archonte (a. 174), et Ctesiclem Diophantumque, quos Oeneo archonte (a. 178) certum est quaesturam gessisse.[151]) Itaque persuasum habeo et Hellenem amisso socio solum mensae praefuisse et quaestorum illa collegia, Timophontis Xenonisque et Mnesiclidis Bulonisque, ad superiores annos esse referenda, hoc ad Periandri (a. 173) aut Polybi (a. 175) archontis annum, illud uno vel duobus annis ante. Quarta denique Philophontis et Pactyae mensa, cuius nisi in Amphiclis rationibus mentionem non fieri iam diximus, hic quidem saepissime commemoratur, sed quinque tantum annorum spatio, ab Oeneo (a. 178) ad Parmenionem archontem (a. 174),[152]) vel sex, si quidem Sotion et Anaxithemis quaestores, qui ex hac mensa pecunias quasdam accepisse dicuntur,[153]) ad Xenotimi archontis

---

29–31, 36, 47, 50, 76–78, 85, 93—95, 98, et Amphicl. arch. rat. lin. 10 – 49 et 78 cum fastis deliacis ab Homollio constitutis.

[146]) Cfr. Demar. arch. rat. lin. 24, 27—29, 32, 34, 86—91, 96; Amphicl. arch. rat. lin. 69 — 73. [147]) Amphicl. arch. rat. lin. 73 – 78. [148]) Demar. arch. rat. lin. 22–23, 33, 41, 79–84, 92, 97; Amphicl. arch. rat. lin. 50—54. [149]) Amphicl. arch. rat. lin. 56—57 et 82. [150]) Ibid. lin. 52 - 53, 53—54 et 55 –56. [151]) Cfr. Amphicl. arch. rat. lin. 26 sqq.: *ταμίαι οἱ ἐπὶ Παρμενίωνος Ξένων καὶ Θευκυδίδης . . . . ταμίαι οἱ ἐπὶ Οἰνέως Κτησικλῆς καὶ Διόφαντος.* [152]) Amphicl. arch. rat. lin. 57 – 69. [153]) Ibid. lin. 59–60 et 62.

annum (a. 179) sunt referendi. Qua de re magnopere dubito, cum idem hic sit Anaxithemis Pachetis f. (e familia notissima oriundus) atque hieropoeus eiusdem nominis magistratu functus Amphicle archonte, novem autem annorum spatium inter munus utrumque interiectum maius videatur, praesertim in viro summo loco nato. Post Parmenionis certe annum quarta haec mensa nusquam in rationibus, quas supra appellavimus, occurrit, ut putandum sit cum possessoribus eius magistratus agere desiisse.[154])

Ultimos nominavi hos negotiatores ex omnium eorum numero, qui aliquo modo seu magistratus seu privati reipublicae deliacae officia sua praestiterunt. Nam qui variorum deorum et dearum fuerunt sacerdotes, eorum pauci tantummodo appellantur in titulis ante insulam Atheniensibus subiectam scriptis — sacerdotes Apollinis[155]) et Aesculapii,[156]) *ἱέρειαι Δήμητρος* et *Κόρης*[157]). Atque ne de his quidem quicquam novimus, nisi fuisse eorum munus annuum. Quamobrem eos praetermitto et ad ministros quosdam transeo minoris dignitatis atque mercede conductos, non ipsi civitati servientes — cuius generis nullos innotuisse mirum esse non potest reputanti documenta nobis praeter decreta aliquot publica nulla fere esse servata —, sed templi administratores opera sua adiuvantes, ut in reipublicae institutis enarrandis cum magistratibus coniungendi sint.

---

[154]) Hoc loco, quia nusquam alibi occasio dabitur, mentionem faciam commutationem quandam rationis has mensas commemorandi in hieropoeorum tabulis esse factam inter Demaris et Amphiclis archontum annos: Demare enim archonte promiscue modo haec, modo illa appellatur, Amphiclis anno universae pecuniae sunt secundum mensarum ordinem dispositae. [155]) Demar. arch. inv. lin. 53: *Σωκρίτου ἱερητεύσαντος ἐπ' ἄρχοντος Φίλλιος*; ibid. lin. 143: *ὁ ἱερεὺς Πυθέας καὶ ὁ ἄρχων Φίλλις* — ne credas binos vel plus fuisse quotannis Apollinis sacerdotes, obstat articulus *ἱερεὺς* voci additus; quattuor enim fuerunt Deli archontes Phillios nomine praediti. [156]) Demar. arch. inv. lin. 110: *ἄρχοντος Τελεσαρχίδου Τιμοκλῆς Τελεσίππου ἱερητεύσας Ἀσκληπιῷ*; praeterea in eodem inventario appellantur, plerumque nomine addito archontis, quo sunt sacerdotio functi, Aesculapii sacerdotes hi: Xenon Pistis f. anno 231 (lin. 47—48), Carystius — a. 221 (lin. 43), Soteles — a. 216 (lin. 45), Xenocrates — a. ? (lin. 43), Lysanias — a. 217 (lin. 44). [157]) Demar. arch. rat. lin. 201: *τῇ ἱερείᾳ τῆς Δήμητρος . . τῇ τῆς Κόρης*.

Horum princeps et amplissimus videtur ἀρχιτέκτων, qui ab hieropoeis in totum annum conduci solebat, cum operibus omnibus in templo faciendis praeesse deberet neque pecunia nisi approbante eo operum redemptoribus solveretur.[158]) Quod maxime mireris, mercedem pro toto anno accipiebat non maiorem 720 dr.,[159]) i. e. binas drachmas pro diebus singulis; sed tenendum est, quod Boeckhius monuit, tota antiquitate non tantum discrimen esse factum, quantum nos facere consuevimus, inter operarium simplicem et artis magistrum: itaque videmus in Erechtheo, quod dicitur, aedificando architectoni singulas quotidie drachmas pensas,[160]) quarti autem saeculi altera parte mercedem usque ad binas drachmas auctam[161]) — eandem, quam Deli quoque hieropoei dare solebant.

Νεωκόρους iam tempore dominationis atticae, saeculo quinto invenimus appellatos; sed tum maiore videntur auctoritate usi, cum hieropoeorum loco amphictyonibus Atheniensium adfuisse in aerarii sacri traditione dicantur,[162]) hoc vero tempore aeditui tantum inferiora ministeria faciebant, cum in pristinum eorum munus successissent, mea quidem sententia, epistatae. Num νεωκόριον, quod saepius in titulis, etiam in rationibus Demare archonte scriptis occurrit,[163]) antiquorum illorum antistitum sine dubio, ut iam dixi, domicilium, etiam ad hos aedituos pertinuerit, discerni nullo modo potest, sed est verisimile. Ceterum non solum Apollinis templi cura aedituis erat mandata, sed etiam alia delubra νεωκόρους suos proprios habebant: commemorantur enim νεωκόρος εἰς Σαραπιεῖον, νεωκόρος ἐς Νῆσον (i. e. aedituus templi Hecatae in Ἑκάτης νήσῳ siti), νεωκόρος ἐπ' Ἀσκληπιείῳ;[164]) quodque maxime mireris, maior his merces dabatur quam Apollinis aedituis: hi enim, quos tres fuisse ex Hypsoclis Sosisthenisque rationibus docuit Homollius[165]) universi 180 dr. accipiebant, illi singuli 120 (superiore tempore Aesculapii νεωκόρος etiam solus 180 dr). Minor est haec merces (binorum

---

158) Demar. arch. inv. lin. 216—217: [καὶ τάδε ἔργα ἐξέδομεν] . . . . . . καὶ τὰς δόσεις ἔδομεν κελεύοντος καὶ τοῦ ἀρχιτέκτονος. 159) Demar. arch. rat. lin. 197. 160) C. I. A. I, 324. 161) C. I. A. II, 834 b, col. I, lin. 12. 162) Glaucippo archonte (a. 410): Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 283. 163) Demar. arch. inv. lin. 177. 164) Demar. arch. rat. lin. 196. 165) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 83: in Demar. arch. rat. appellantur νεωκόροι καθ' ἱερόν.

obolorum vel etiam singulorum in dies singulos), quam ut credi possit quemquam ea conduci potuisse; itaque puto stipendium tantum esse ad victum comparandum tributum. Et confirmatur mea sententia ea re, quod eadem pecunia (120 dr.) pensa dicitur tribus aliis hominibus (Apollonio, Carpo, Stephano) *σιτηρεσίου* nomine, additis quinis denis drachmis in vestem:[166]) quos Homollius statuit tibicines esse, quod ipsam hanc mercedem aliis in titulis accepisse dicatur tibicen et Demare archonte acceperit[167]) Philumena *αὐλητρίς* (cui alio loco itidem viginti drachmae tribuuntur[168]) ad vestitum comparandum). Prorsus ei assentior in hac re atque adicio pro certo me habere omnes hos ministros, tam *νεωκόρους*, quam tibicines, non liberos esse homines mercede conductos, sed servos vel publicos civitatis vel dei proprios, quibus modo pecunia ad frumentum emendum sit tributa et aliquotiens ad vestitum comparandum; certe, quantum quidem cognitum habemus, nunquam hominibus liberis pecunia ad vestem emendam pensa est, servis autem non raro: quod factum esse legimus, ut exemplum adferam, in titulo Eleusinio supra iam commemorato,[169]) ubi servis publicis ad opera facienda adhibitis *τροφή* dicitur tributa trinorum obolorum pro singulis diebus — plus igitur, quam quod Deli aedituis et tibicinibus dabatur. Ceterum non omne tempus consumebant officiis in templo faciendis neque eis non licebat, credo, alibi mercedem acquirere, inprimis tibicinibus. Idem fortasse est statuendum de Inopophylace, qui per sex menses 45 dr. accipiebat, et de praecone, cui 60 dr. scribuntur pensae;[170]) quamquam crediderim hunc saltem liberum fuisse hominem parvamque, quae ei tribuebatur, mercedem inde explicandam, quod rarius officia sua praestare debuerit. De Inopophylace, qui aliis in titulis etiam crenophylax appellatur, taceo, cum neque munus eius sit satis perspicuum neque, cur per sex tantum anni menses mercedem acceperit, liqueat, itemque de ministris quibusdam aliis (hyperete, palaestrophylace etc.), qui nisi ex Homollii commentario Demaris rationibus

---

[166]) Demar. arch. rat. lin. 195. [167]) Ibid. lin. 197. [168]) Cosmiade archonte, ut loco supra allato Homollius dicit. [169]) C. I. A. II, 834 b, col. I, lin. 5 et 42. [170]) Demar. arch. rat. lin. 197: *Ἰνωποφύλακι Ἀθηνάδῃ μηνῶν ἕξ.*

addito noti non sunt. Neque magis scire me fateor, quid sibi velint octoginta illae drachmae scribae hieropoeorum pensae,[171]) cum is quidem certe sit non mercede conductus — ridicula sane merces esset 1$^1/_3$ oboli in singulos dies.

VI.

Cum de tota reipublicae gerendae ratione non multa dici possint eaque iam variis locis, quibus commodius est visum, commemorata sint, hic breviter exponam, Apollinis templum eiusque opes quomodo sint administratae, documentis usus duobus, quae e multis nuper in lucem productis sola sunt publici adhuc iuris facta, rationes dico iam saepius appellatas hieropoeorum Demare et Amphicle archontibus scriptas,[1]) et commentario luculentissimo omnisque doctrinae pleno, quem Homollius ad primum titulum explicandum adiecit multisque illustravit aliorum locis, nondum editorum.

Atque constat quotannis hieropoeos exemplum amphictyonum atheniensium aliorumque eiusdem generis magistratuum secutos rationes rerum a se gestarum, quas civitati reddiderant, curasse lapidi incidendas, ut civium cuinis liceret has res maximi momenti ad salutem totius civitatis ipsi examinare:[2]) non igitur mirum rationum tabulas inter varios titulos Deli inventos primum obtinere locum et rerum ibi tractatarum gravitate et numero — plus centum ad tempus liberae reipublicae pertinentes Homollio computare licuit, in quibus non paucas multo amplius centum versuum.

Duplex ut erat hieropoeorum munus, partim in pecunia dei

---

[171]) Ibid. lin. 198: γραμματεῖ Νεοχροντίδῃ, qui hoc ipso anno fuit hieropoeorum scriba, ut ex primis et rationum et inventarii versibus perspicitur.

[1]) Bull. d. Corr. Hell. II, p. 570—584 et VI, p. 1—167. [2]) Quin etiam unoquoque mense rationes pecuniae a se acceptae vel expensae tabulis ligneis albis (λευχώματα) inscriptas in publico proponere solebant — cfr. quae Homollius ex aliis rationibus attulit (Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 80 not. 2) verba: τοῖς κατὰ μῆνα λόγοις ἐκτιθεμένοις εἰς τὴν ἀγορὰν λεύκωμα.

administranda, partim in supellectile varia asservanda positum, ita in tabularum fronte pecuniae et acceptae et expensae perscribebantur, in parte aversa inventaria templorum et *οἴκων* diversorum proponebantur; et hic et illic minora quaedam (fundi elocati, opera redemptoribus adiudicata, debitorum nomina, qui iusta non solverant) adici solebant, prout locus vacabat, saepius etiam in lateribus lapidis: hoc de universis dici potest, ceterum vix duae tabulae videntur fuisse ad unum plane exemplar scriptae. In hieropoeorum autem tabulis examinandis alia nobis via est ineunda, atque usi sumus in amphictyonum rationibus, marmore praesertim Sandwicensi, perscrutandis; nam has perlegentes statim cognoscimus, et accepta et expensa sacri aerarii quae quantaque fuerint singulis annis et per singulorum collegiorum tempus, quoniam secundum certum ordinem perscripta sunt; in hieropoeorum vero tabulis multo amplioribus ordo minus est perspicuus: cum enim templi reditus nunquam fere eo ipso, quo debebant, anno, sed uno atque interdum duobus post perciperentur, percepti non statim in arcam referrentur, sed plerumque deponerentur in trapezitarum mensi, factum est, ut variis exstent tituli locis singula perscripta. V sum est igitur mihi primum, pecuniarum rationes quo ordine sint Den.are archonte lapidi incisae, exponere singulatim, quo perspecto facilius erit templi et reditus annuos atque expensa investigare et de universa dei re familiari iudicare.

Primo loco perscribitur, quae invenerint in arca sacra (*παρέλαβον ἐν τῇ κιβωτῷ τῇ ἱερᾷ*) asservata in urnis (*στάμνοις*) hieropoei, cum magistratum inirent, a superioris anni collegio sibi tradita praesente, ut iam dixi, archonte civitatis, senatu universo (non solum prytanibus, ut in singulis pecuniarum summis et accipiendis et pendendis), scribis ambobus — hieropoeorum et *τῆς πόλεως*. Neque solum totius pecuniae summa numeratur et perscribitur, ut fieri solebat in rationibus amphictyonum, sed etiam singulatim urna unaquaeque appellatur cum titulo suo (*οὗ ἐπιγραφή*), unde sit accepta, a quibus trapezitis tradita, a quo hieropoeorum vel quaestorum collegio illata (interdum etiam archontis nomine et mense addito), quantam pecuniae summam continuerit. Carent nominibus magistratuum atque negotiatorum paucae urnae, argento repletae extra insulam Teni aut Minoae percepto, praeter unam, in quam ex decem aliis quae residuae erant pecuniae collatae

sunt.[3]) Ceterae in duas partes dividi possunt (quod iam Homollius fecit) secundum magistratus, a quibus traditae sunt; neque haec divisio fortuita est, quia hieropoei pecunias inferebant e templi possessionibus, quas ipsi administrabant, perceptas. quaestores autem civitatis nomine debita solvebant.[4]) Sequuntur deinde eodem modo perscriptae pecuniae, item urnis inclusae, quae relatae sunt in sacrum aerarium, dum ipsi munere fungebantur,[5]) itemque in duas partes divisae, a quaestoribus unam, alteram ab hieropoeis depositam. Neque id solum inter eas intercedit discriminis: quae enim a quaestoribus solvebantur pecuniae, hoc ipso omnes anno pendendae erant atque pendebantur ab eis quaestoribus, qui munus eo tempore habebant; ab hieropoeis vero relatae magna ex parte vel uno vel duobus iam ante annis percipiendae erant et traduntur ab illius anni hieropoeis, qui iam munere defuncti erant — duae tantum summae, non ita magnae, ab hominibus privatis ad aes alienum solvendum pensae in aerario positae dicuntur ab hieropoeis illis, qui hoc anno munere fungebantur.[6]) Expensae deinde pecuniae perscribuntur, ex arca sacra desumptae ab hieropoeis,[7]) accuratissimeque denotantur urnae, ex quibus sunt depromptae; mensis praeterea additur, quo singulae summae sunt pensae, atque ad quem usum: sexies *εἰς τὰ ἔργα* pecuniae penduntur,[8]) bis civitati vel homini privato mutuae dantur. Postremo quae in aerario

[3]) Dem. arch. rat. lin. 4—10 = Amphicl. arch. rat: lin. 3—10.

[4]) Dem. arch. rat. lin. 11—37; cfr. Amphicl. arch. rat. lin. 10 78.

[5]) *Τόδε ἄλλο ἀργύριον ἐτέθη ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς εἰς τὴν ἱερὰν κιβωτόν*: Demar. arch. rat. lin. 52—55. [6]) Ad haec cfr. tabulam ab Homollio commentario suo, quem saepius appellavimus, additam B (ad pag. 61): invenies sub littera b pecunias omnes scriptas. quae a quaestoribus sunt relatae — omnes traditae dicuntur a Menyllo et Phocaeeo huius ipsius anni quaestoribus; contra in pecuniis ab hieropoeis numeratis, quarum summa est 10000 drachmis maior, vix 1400 dr. pensae sunt ab illis, qui Demare archonte munere sunt functi, Polyxeno Silenoque cum collegis. [7]) *ἐξείλομεν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς*: Dem. arch. rat. lin. 55—73. [8]) Opera haec omnia accuratius videntur una cum pecuniis in singula expensis scripta fuisse in rationibus, quae sub titulo: *τάδε ἐξέδομεν ἔργα μετὰ ἐπιμελητῶν κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου καὶ τὰς δόσεις ἔδομεν κελεύοντος καὶ τοῦ ἀρχιτέκτονος* additae sunt inventariorum tabulae, in aversa lapidis parte incisae.

remansit pecuniae summa succedenti hieropoeorum collegio tradita scribitur.[9]) De illis, quae sequuntur, rationibus κιβωτοῦ δημοσίας hieropoeorum curae mandatae, cum iam necessaria quae visa sunt supra exposuerim, nihil dicam, nisi eas quoque tali modo esse perscriptas, ut primo in arca inventae, deinde in eam relatae, postremo expensae numerentur pecuniae, denique summa earum, quae in arca restiterunt traditaeque sunt successoribus.[10]) Credideris iam esse rationes omnes ad finem perductas; sed initium hinc modo faciunt hieropoei (si omittas duas illas summas supra commemoratas) pecuniae perscribendae, quam ipsi e bonis dei per hunc ipsum annum perceperunt: *καὶ τόδε ἄλλο ἀργύριον εἰσῆκει τῷ θεῷ*; ac discripta est sub his titulis: domorum locationum (*ἐνοικίων*), fundorum locationum (*ἐνηρυσίων*), vectigalium (*τελῶν*), donorum (*ἐκ θησαυρῶν*), usurarum (*δανείων καὶ τόκων*) — haec omnia percepisse se scribunt, non dicunt in *κιβωτὸν ἱερὰν* rettulisse.[11]) Atque denuo sequuntur rationes non magnarum, ut supra, pecuniarum, sed eo crebrius expensarum, atque ita, ut primo loco scribantur, quae ad sacra menstrua facienda,[12]) deinde ea, quae e legibus populique decretis sunt pensa.[13]) Subiunguntur pecuniae mutuae ab hieropoeis datae hominibus quibusdam privatis.[14]) Quae deinde in rationibus Demare archonte scriptis sequuntur satis mutila, additamenta videntur esse, quibus suppleantur quaedam nescio quo casu suo loco omissa.[15]) Postremo[16]) commemorata videntur (haec est Homollii sententia) debitorum nomina, qui aes alienum contractum usurasque aut vectigalia locationesque deo non solverunt, addita pecuniae summa non perpensae:[17]) cuius catalogi alteram partem in marmoris latere invenies scriptam.

---

[9]) Dem. arch. rat. lin. 73—75. [10]) Dem. arch. rat. lin. 75—140; pecuniae a superiore collegio acceptae: lin. 75—99; hoc ipso anno illatae: lin. 99—122; exprompta: lin. 122—139; summa succedenti collegio tradita: lin. 139 140. [11]) Dem. arch. rat. lin. 140—180. [12]) *Τάδε ἀνήλωται εἰς τὰ κατὰ μῆνα*: ibid. lin. 180—195. [13]) *Τάδε ἀνήλωται κατὰ ψηφίσματα*: ibid. lin. 195—207. [14]) Ibid. lin. 207—219. [15]) Ibid. lin. 219—225. [16]) Interpositae sunt rationes quaedam lignorum, tegularum aliarumque rerum ad aedificandum necessariarum, quae omnia videlicet ab hieropoeis erant empta et, quatenus non erant consumpta ad opera varia facienda, tradebantur sequenti magistratuum collegio: ibid. lin. 226—239. [17]) Ibid. lin. 240—255, admodum mutila.

Omissis igitur, quae ad rei gerendae rationem perspiciendam minoris sunt momenti, videmus pecunias ab hieropoeis et acceptas et expensas duobus locis esse in rationibus commemoratas, atque acceptarum quidem unam partem statim *εἰς ἱερὰν κιβωτὸν* relatam, alteram extra arcam asservatam per totum administrationis annum. Quod cur factum sit, unam recte Homollius perspexit causam:[18]) non omnes pecunias, quae singulis annis redire debuissent, esse revera hoc anno perceptas ideoque neque in arcam sacram referri potuisse neque in rationibus summam earum perscribi sub titulo uno (*ἐνοικίων, ἐνηροσίων, τελῶν, δανείων, τόκων* — ut fit in superiorum annorum reditibus) non additis singulorum debitorum nominibus, cum maxime scire interesset, quis quantumque solvisset. Certe neque prius est dubium, cum, ut unum exemplum afferam, hoc ipso anno pro domo *Ἐπισθενείου* nomine appellata legamus partem mercedis — 43 dr. — esse pensam, partem — circa 24 dr. — non solutam,[19]) et confirmari videtur universa Homollii sententia, cum pecuniae, a quaestoribus quae tradendae erant, statim in aerarium sint illatae: videlicet respublica, deo quae debebat, et omnia simul et iusto tempore solvebat. Sed neque unica est, quam Homollius invenit, causa, neque qua omnes difficultates leventur: ut omittam hieropoeos, si semper exspectare voluissent, dum omnes pecuniae debitae essent persolutae, numquam fortasse aut post longum certe temporis spatium eas in arcam illaturos fuisse — quin etiam e Demaris rationibus videmus hominem quendam usuras septem annorum hoc demum anno pependisse[20]) — ut haec missa faciamus, cur expensae quoque pecuniae in duas partes divisae sint variis locis perscriptas, Homollii explicatione non expeditur. Quare in re explicanda ab ipsis his, quas modo dixi, expensis proficiscendum censeo.

Facillime perspicitur primo loco perscribi, quae ex ipsa arca sacra exempta sunt populi iussu ad impensas quasdam extraordinarias faciendas: ut enim sit saepissime aes alienum contractum e dei pecunia et a civitate et ab hominibus privatis, ut sint quotannis opera facienda redemptoribus elocata, nullo tamen modo referri haec possunt inter impensas certas ac lege definitas, cum

---

[18]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 74. [19]) Demar. arch. rat. lin. 144 145 et in latere, lin. 2—11. [20]) Ibid. lin. 164—165.

eorum summa ex anno in annum non eadem manserit. Longe aliter res se habet in pecuniis illis, quae secundo loco perscriptae sunt et dicuntur expensae aut εἰς τὰ κατὰ μῆνα aut εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα — sumptus sunt ordinarii, hi lege etiam et populi decretis definiti, ut titulus ipse docet, illi usu certe sancti, cum in sacrificia menstrua, quae eadem manebant, eadem semper pendenda esset pecunia. Quod vero est gravissimum, et summa unaquaeque expensa est quam minima et numerus pensionum singularum — quam maximus: qua re fiebat, ut de impensis singulis faciendis populum rogare et vix necesse esset in tam parvis, neque satis commodum in tam crebris — ridiculum sane esset, si hieropoei, ut duas vel tres drachmas expenderent, interdum obolos quattuor, populum Deliorum in contionem advocassent, archontem prytanesque sollemniter ad arcam aperiendam in templum adduxissent. Patet iam sententia mea: cum pecuniae ad sumptus extraordinarios (opera, δανεῖα etc.) eosque maiores faciendos necessariae ex arca sacra occlusa desumerentur atque expromi non possent nisi iussu populi coram summis civitatis magistratibus, ad multas impensas ordinarias vel quotidianas, ut ita dicam, hieropoeis pecuniae quaedam summa permittenda erat, unde solverent non aperta arca; ad hanc rem reditus annuos a se perceptos (non illos, quos quaestores tradere solebant) extra arcam asservare per totum muneris tempus atque inde impensas ordinarias facere eis licebat, quo iure semper eos usos videmus — hinc duplices illae et acceptarum et expensarum rationes pecuniarum explicantur, hinc etiam intellegitur, quod aliter expediri nullo modo potest, cur saepissime tantum τὸ περιὸν τοῦ πραχθέντος ἐνοικίων, τελῶν etc. a superiore collegio hieropoei scripserint se accepisse, non universas locationum, usurarum, vectigalium summas — expenderant enim partem iam aliquam ea, qua dixi ratione, per muneris sui tempus. Non obstat sententiae meae, quod pars quaedam redituum annuorum — id quod supra iam dixi — ipso hoc Demaris archontis anno percepta statim ab hieropoeorum collegio, quod munere fungebatur, in arcam sacram illata dicitur: aes alienum usuraeque ab Hermone Solonis f. et a Pachete Diogenis f. pensae. Nam haec alio quoque loco habemus commemorata inter reditus annuos[21]) additis

[21]) Collatis Demar. arch. rat. lin. 51 et 178 non temere mihi videor

verbis: *τοῦτο ἔθεμεν εἰς τὸ ἱερὸν κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου*, ut magis etiam confirmetur opinio mea, cum videamus, reditus annui ut in arcam inferri possent, decreto populi opus fuisse. Homollius quidem verba, quae modo attuli, ad omnes reditus annuos pertinuisse credit, neque ex ipso titulo, qui hoc ipso loco admodum est mutilus, refelli potest sententia viri doctissimi; at reputandum est nullam perspici causam, cur ab illis, quae in *κιβωτὸν ἱερὰν* illata dicuntur, haec seiungerentur, si item omnia ibi deposita essent, neque rationem, qua ducti hieropoei usuras ab Hermone et Pachete pensas duobus locis easdem perscripsissent. Accedit, quod probata Homollii sententia non intellegitur, quomodo uno vel duobus etiam annis post pecunias *εἰς ἱερὸν* illatas in mentem venerit hieropoeis addere trapezitarum nomina, a quibus singulas pensiones accepissent, cum eo tempore, quo pensae sunt, non in tabulas rettulissent. Sin autem recte se habet opinio mea, non necesse est monere universos reditus annuos, quos in templum illatos esse nego, in negotiatorum horum mensis esse asservatos, dum vel expenderentur ab iis iussu hieropoeorum vel anno exacto in sacram arcam inferrentur addito etiam in titulo trapezitae nomine.

Satisne recte perspexerim sacri aerarii administrandi rationem, alii iudicent: equidem utar his rationibus ad investigandum, dei reditus annui quanti fuerint. Non necesse est demonstrare nihil ad hanc rem prodesse rationes illius aerarii partis, quam accepisse a superiore hieropoeorum collegio Polyxenus Silenusque profitentur inito magistratu; sed ne ex altera quidem sacrae arcae rationum parte omnia in usum nostrum convertere possumus: segregandae sunt primum pecuniae ab hieropoeis superiorum annorum illatae, quippe quae non e reditibus huius anni perceptae sint; neque alia

---

loco secundo restituere nomen mutilum: [*παρὰ Πάχητ*]*ος τοῦ Διογένου*, cum reliqua omnia simillima sint. Magis dubitare licet in summa altera, cum debitor quidem Hermon Solonis f. utroque loco idem appelletur, sed *τόκων ἐτῶν τεσσάρων* summa sit diversa; at priore loco (lin. 40) exstat scriptum: ΗΗΔΔΔΔǂǂ, altero (lin. 180) Homollius legit ⊢ΗΔΔΔΔǂǂ — minime dubito, quin hic quoque eadem summa commemorata fuerit eamque restituo signo ⊢ in Η commutato, quod neque difficile est et admodum probabile, cum in tota hac rationum parte signum ⊢ drachmarum summis non praemittatur.

res est de summis ab Hermone et Pachete pensis, cum iis contineantur et caput redditum, quod certe bonis dei, non fructibus est adnumerandum, et usurae solutae, sed ne illae quidem pro hoc anno, sed pro superioribus pensae. Restant igitur pecuniae a quaestoribus illatae, sed ex his quoque deducendae sunt pecuniae, quae εἰς ἀπόδοσιν τῶν δανείων publice pensae dicuntur,[22]) ob eandem causam — ad reditus annuos non pertinent; quibus certe adnumeranda sunt reliqua omnia: τὸ χορηγικὸν — 486 dr. 4 obol., τὸ περιὸν ἀπὸ τῶν τεχνιτῶν — 16 dr., τραπεζῶν — 200 dr., ὅρων — 40 dr., ἀγορᾶς — 1303 dr. 3½ obol. De primis tribus ad ea, quae iam supra dixi, non habeo quod addam; ἀγορᾶς vel, ut in Amphiclis rationibus plenius exstat scriptum, εἰς ἀπόδοσιν τῷ θεῷ τὰ ἐνοίκια τῶν οἰκημάτων τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ[23]) est merces publice pensa pro aedificiis quibusdam dei propriis, quae in foro sita a civitate erant conducta: mirari possis, cur Theodoro archonte (a. 172) a 1303 ad 3535 dr. sit aucta,[24]) sed coniecturam de hac re proferre vanum est, cum neque quot fuerint aut Demare aut Theodoro archontibus aedificia, neque ad quem usum conducta, sit notum; minus etiam perspicuus est ὅρων reditus, qui octoginta quotannis fuit drachmarum, quae dimidia parte inter deum civitatemque dividi solebant.[25]) Omnium pecuniarum, quas modo singulatim attuli, summa est 2046 dr. 1½ obol.

E reliquis templi reditibus annuis primum certe locum obtinent pecuniae, quae percipi solebant e domorum et fundorum locatione atque vectigalibus redemptis: ex illis hoc anno redierunt 1711 dr 5 obol.[26]) et 6980 dr. 1 obol.,[27]) non persolutae sunt 24 fere drachmae,[28]) ex his pensae — 362 dr.,[29]) debitae — 81 dr.[30]) De quibus omnibus, cum iam Homollius longius exposuerit, non multa addere possum. Demonstravit vir ille doctissimus collatis aliis quoque hieropoeorum tabulis, quae variis annis scriptae erant, mercedem domorum ex anno in annum crevisse, fundorum autem

---

[22]) Demar. arch. rat. lin. 41—44. [23]) Amphicl. arch. rat. lin. 13.
[24]) Ibid. Alio anno 3012 pensa dicuntur: ibid. lin. 49—50.
[25]) Demar. arch. rat. lin. 15, 22, 28, 45, 76; Amphicl. arch. rat. lin. 29, 36, 42, 50, 54, 62, 70. [26]) Dem. arch. rat. lin. 145. [27]) Ibid. lin. 152. [28]) Ibid. in latere, lin. 2—11. [29]) Ibid. lin. 155. [30]) Ibid. in latere, lin. 11—25.

decrevisse, et illam quidem inde ab Hypsocle ad Demarem archontem dimidia fere parte auctam, hanc eodem temporis spatio multo etiam magis imminutam: si cum pecuniis Demare archonte e locationibus perceptis comparamus illas, quae quotannis redire solebant tempore dominationis atticae, apparet fundorum mercedem universam hic quoque mille fere drachmis decrevisse,[31]) domorum autem sex partibus auctam.[32]) Sed non obliviscendum est numerum utrorumque hoc temporis spatio non eundem mansisse, ut certius nihil de hac re statui possit nisi singulorum fundorum aut aedificiorum mercedibus variis annis collatis. Atque de aedificiis quidem hoc nullo modo fieri potest, quia inter satis multa earum nomina, quae saeculo quarto occurrunt, ne unum quidem invenitur, quod in rationibus etiam hieropoeorum appelletur. Aliter res se habet de fundis, atque collatis eis, quae in rationibus et amphictyonum et hieropoeorum exstant, videmus mercedem eorum vel eandem mansisse vel, quod maxime mireris, etiam maiorem esse, quam fuit Demare archonte, ne dicam iam Hypsocle aut Pyrrhide, ut patet e tabula, qua comparantur locationum pretia Ol. 105 pensa[33]) cum iis, quae et Homollius ex Hypsoclis et Pyrrhidis rationibus attulit nondum editis[34]) et quae Demare archonte leguntur soluta:[35])

Nomina fundorum	Ol. 105,3 —106,2 (358—355)	Pyrrhide (297)	Hypsocle (279)	Demare (180)
Porthmus	500 dr.	—	—	592 dr. 5½ obol.
Limnae	300 dr.	715 dr.	392 dr. ½ obol.	280 dr.
Panormus	300 dr.	—	—	332 dr.
Charetia	700 dr.	—	—	799 dr. 4½ obol.
Scitonia	300 dr.	—	—	332 dr.
Dionysion	300 dr.	1372 dr.	600 dr.	341 dr.
Lyconia	50 dr.	—	—	171 dr. 3½ obol.

Hoc non parvi est momenti: si singulorum fundorum merces

[31]) Erant perceptae pro fundis locatis, ut supra vidimus, Cratete archonte: 8000 dr. paullo amplius (a. 434/33), Charisandro et Hippodamante (a. 376—374): 7852 dr., Socratide (a. 374/73): 8000 dr. fere.

[32]) Hanc fuisse videmus 297 Hippodamante et Socratide archontibus (a. 375—373). [33]) C. I. A. II, 817. [34]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 65.

[35]) Demar. arch. rat. lin. 145—152.

Demare archonte pensa eadem est atque maior etiam, quam quae tempore dominationis atticae pendi solebat, summa autem universae pecuniae e locationibus perceptae imminuta est mille drachmis, ut iam vidimus, per idem temporis spatium, necesse est numerum etiam fundorum duobus his saeculis minorem esse factum atque octava quidem parte. Sane dolendum est, quod de domorum numero eadem ratione iudicare non licet; sed cum videamus totam summam ex earum locatione perceptam sex partibus crevisse, probabilius est earum quoque numerum quam singularum pretium tanto esse auctum.

De vectigalibus a templi administratoribus perceptis non multum dici potest:[36]) partim enim ipsa uomina loquuntur, ut *πορφύρα* (10 dr.) — ius purpurae piscandae, *λιμήν* — ius portorii in magno Deli portu exigendi (34 dr.), *πορθμεῖον* — ius nauli — *εἰς Ῥηνείαν* (182 dr.) et *εἰς Ἀπολλώνιον* (locus est in insula Mycono situs, ut alii tituli docent: 4 dr.[37])?), *ὁλκὸς ὁ ἐν Ἀπολλωνίῳ* (66 dr.) et *ὁλκὸς ὁ ἐν Νήσῳ* (2 dr.) — ius portorii in Myconi portu et in Insula, i. e. Hecatae, percipiendi, *ἐννόμιον* — ius pascui — *τὸ ἐν τῇ ἰσθμῷ* (adde *τῇ ἐν Μυκόνῳ*: 5 dr.); partim qualia fuerint, non intellegitur, ut *αἱρεσίων* (117 dr.), *στροφείων* (23 dr.), *ἡμιωβελιῶν*.[38]) Tota eorum summa est 443 dr Non tempore reipublicae liberae primum haec vectigalia instituta, sed iam ab amphictyonibus atticis esse redemptoribus vendita cum multis titulorum locis demonstratur, tum a me iam est dictum, cum de tempore illo verba feci.

Vectigalia non ab hieropoeis ipsis percipiebantur, sed a publicanis, quorum nomina in Demaris rationibus legimus singulis vectigalibus adscripta. In quot autem annos venierint, nusquam invenire potui neque in titulis ipsis neque in Homollii commentario. Cum autem appareat Phocaeei anno, qui Demaris archontis annum antecedit, alios fuisse vectigalium quorundam redemptores,[39]) for-

---

[36]) Exstant scripta in Demar. arch. rat. lin. 152—155 et in latere, lin. 11—25; cfr. etiam Le-Bas. II, 2092. [37]) Totam esse hanc mercedem debitam non est verisimile, quamobrem huc refero, quae in latere leguntur (initio sententiae deperdito): *Ἀπολλωνίου* 61 dr., ut fuerit tota merces persolvenda 65 dr. [38]) Cfr. quae dixit Homollius in commentario saepius appellato: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 66—68.

[39]) Cfr. Demar. arch. rat. lin. 173—174 et 174—175.

sitan inde colligas in unum esse ea annum venire solita; quamquam cogitari etiam potest ea vel tempore locationis exacto novis publicanis veniisse ipso hoc anno, vel pristinis mercede non pensa esse erepta. Aliud invenisse mihi visus sum indicium magis fide dignum: *λίμνης* (ius in lacu quodam piscandi) merces modo inter vectigalia refertur,[40] modo ut in nostro titulo locationibus adscribitur,[41] quod factum non esset, nisi mos fuisset et vectigalia venire et fundos elocari in idem tempus. Fundos autem et domus novimus in decem annos elocari solita esse: de domibus quidem nusquam hoc exstat plane scriptum (ne in *ἱερᾷ συγγραφῇ* quidem, cuius normam secuti hieropoei dei bona elocabant), ut ex Homollii silentio apparet; sed cum aut de quinque aut de decem annis tantum cogitare liceat — hoc scimus sub amphictyonum administratione fuisse tempus legitimum,[42] illud secunda Atheniensium dominatione[43] —, eadem autem redemptorum nomina per spatium quinque annis maius pertinent, inde colligi potest decem fuisse annorum locationum tempus, ut de fundis constat.[44] Conductores fundi aut aedificii itemque vectigalium publicani quod praedibus (*ἐγγύοις*) binis fere datis[45] omnibusque bonis suis cavebant de mercede persolvenda inutile est monere — non est proprium reipublicae deliacae, sed commune omnium civitatum graecarum.

Breviter attingam reditus quotannis perceptos *ἐκ θησαυρῶν*, qui dicuntur in templo Apollinis magno, in fano Aesculapii, Sarapidis, Hecatae *ἐν Νήσῳ*, Veneris positi, atque *ἐκ φιάλης* sine dubio in magno templo collocatae; quibus (sunt 65 dr.) si addas 50 dr.

---

40) Le-Bas, II, 2092. 41) Demar. arch. rat. lin. 151. 42) C. I. A. I, 283, lin. 21 cum Boeckhii commentario: »Erklärung einer Urkunde über das Vermögen des apollinischen Heiligthums auf Delos« § 16.

43) Bull. de Corr. Hell. IV, p. 185—186: frustulum rationum sacri aerarii Anthesterio archonte attico scriptarum. 44) Cfr. quae attulit Homollius e titulo nondum edito verba: *ἐμισθώσαμεν τὰ τεμένη τὰ τοῦ θεοῦ εἰς ἔτη δέκα κατὰ τὴν ἱερὰν συγγραφήν.* 45) *Ἐγγράφομεν* (i. e. hieropoei) *Ἀντίγονον Λαριστίου καὶ τοὺς ἐγγύους ᾧ ἔλασσον ἀπέδωκεν* etc.: Demar. arch. rat. in latere, lin. 20 sqq. — *Παρὰ Σωτίωνος ὑπὲρ Ἀρίστιος τὸν ἐπιβάλλοντα τῆς κατὰ ἑβδομισκὸν ἐγγύης* (septem hic praedes fuerunt) *τόκον τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου ὃν ἔφη ὀφείλειν* etc.: ibid. lin. 176. Cfr. etiam Homollii commentarium: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 52—66 et Monum. Grecs. VII, § II, p. 52 sqq.

a quaestoribus ad Thesmophoria celebranda pensas et alia quaedam ob exiguitatem memoratu non digna, habebis 229 dr. 4 obol. Demare archonte ab hieropoeis perceptas[46]).

Venio nunc ad templi reditus multo maioris momenti, qui e pecuniis foenori datis redibant. Quos Homollius computando effecit Demare archonte fuisse circiter 3250 dr., sed ita ut contenderet praeterea maiores exstitisse, cum summae quaedam intercidissent lapidis detrimento et addendae essent aliae a debitoribus non solutae[47]) — recte, cum bona dei computare vellet: nobis cum reditus annuos investigare propositum sit, non est neglegendum in hac 3250 dr. summa inesse non solum usuras pro tribus, quattuor, septem etiam annis pensas, sed ipsa etiam capita a debitoribus reddita,[48]) ut contendam non maiores fuisse fructus ex usuris quotannis perceptos, sed multo minores quam summam 3250 dr. Nam nemo est quin videat neque pecunias foenori datas expensis (accurate si loquimur) neque redditas acceptis posse adnumerari, ut ne aes quidem alienum contractum debitoris rei familiari adnumeratur, sed eius, qui mutuum dedit; itemque si usurae aliquot annorum debitae una pensione solvuntur, non sunt ad reditus unius anni, quo pensae sunt, referendae, sed dispertiendae per tot annos, pro quot sunt solutae — hoc nobis quoque faciendum, si non solum fructus hoc uno Demaris anno perceptos (qui aut minores, aut maiores esse poterant quam revera debiti), sed annuos reditus computare volumus. Si igitur e summa 3250 dr. $1^{11}/_{12}$ obol., quam Homollius computavit, deducimus pecunias pensas a dei debitoribus, ut aere alieno se liberarent, vel etiam ut locationum pretium superioribus annis non pensum solverent,[49]) reliquae sunt 676 dr.

---

[46]) Demar. arch. rat. lin. 155 – 159 cum Homollii commentario: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 69—70. In titulo apud Le-Bas, 2092 edito legitur rediisse *ἐκ θησαυρῶν* 46 dr. fere, *ἐκ φιάλης* — 27 dr. [47]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 69. [48]) Exempli gratia (omnia perscribere taedet) afferam e Demar. arch. rat.: *τόκον τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου τὸν ἐπὶ Τελεσαρχίδου Φωκαιέως Δημάρου ὃν ἔφη ὀφείλειν* (lin. 169), *τόκον ὃν ἔφη ὀφείλειν ἐτῶν τεσσάρων* (lin. 167), *τῆς κατὰ . . . . . . ἐγγύης τόκον τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου ὃν ἔφη ἐπιβάλλειν αὐτῷ ἀπὸ ἄρχοντος Δημητρίου* (a. 185) *ἕως Οἰνέως* (a. 178) — lin. 162—163; *δάνειον ὃ ἔφη δανείσασθαι . . . . .* (sunt 1400 dr.) *καὶ τόκον ὃν ἔφη ὀφείλειν μηνὸς* — 12 dr. ½ obol. (lin. 160—161).

[49]) Cfr. ibid. lin. 170: *ἐνοίκιον τῆς ἱερᾶς οἰκίας ὃ ἔφη ἐγγραφῆναι*

$4^{11}/_{12}$ obol. usurarum nomine ab hieropoeis acceptae: hic est qui e pecuniis dei foenori datis revera rediit fructus Demare archonte. Sed iam dixi hic inesse interdum usuras trium, quattuor, septem annorum una pensione absolutas, quarum videlicet tertia, quarta, septima pars tantum est reditibus annuis adnumeranda: omnia denique si segregamus, quae non pro ipso hoc anno pensa dicuntur, restant 421 dr. $^{11}/_{12}$ obol. Haec certe summa minor est addendaeque sunt usurae non solutae a nonnullis debitoribus, quorum quae in extrema tabula perscripta erant nomina,[50]) tam sunt mutila, ut nihil fere legi possit: in latere solum exstat scriptum debitorem quendam usuras 80 dr. non pependisse,[51]) quas si summae illi addimus, efficiuntur 500 dr. paullo amplius. Neque temere mihi videor statuere, hanc summam esse omnium, quae quotannis pendi debebant, usurarum dimidia parte non minorem omninoque e pecuniis dei foenori datis quotannis rediisse non plus mille drachmis. Quis enim credere potest tam neglegentes fuisse hieropoeos in pecuniis dei administrandis, ut usque ad Oeneum archontem, annis

---

(ut debitor) *ὑπὸ ἱεροποιῶν* (superioris anni) — 99 dr.; lin. 174—175: *παρ' Ἀνθροδάλου ὃ ἐνέγραψαν αὐτὸν ἱεροποιοὶ* (superioris item anni) *τῆς πορθμίδος τῆς εἰς Ῥηνείαν* — 208 dr.

50) Ibid. lin. 250—253. Nam quod Homollius dixit tabulam debitorum, qui usuras non solverant, iam inde a versu 240 in rationibus Demare archonte scriptis incipere, probabile mihi non est: primum enim formula — *ἐγγράφομεν ὀφείλοντας τῷ θεῷ* infra (lin. 250) legitur, cum in initio tabulae stare soleat, atque si repetitur (ut in tituli nostri latere), paullulum immutata — *ἐγγράφομεν δὲ καὶ τὸν δεῖνα* (sine *ὀφείλοντας τῷ θεῷ* verbis) scribatur; deinde a versu 240 usque ad versum 250, a quo mea sententia debitorum tabula incipit, recensentur homines, qui »heredes« (*τοῦ δεῖνα κληρονόμοι*) appellantur: mirum sane esset, si a debitoribus reliquis hi potissimum segregarentur, ut ad eam potius inclinem opinionem homines hos de patrimonio accepto partem quandam deo dicasse. Etiamsi falsa sit haec coniectura, non infirmatur tamen sententia mea omnium usurarum summam non fuisse mille drachmis maiorem: nam si numerorum, qui etiam exstant in lapide inde a versu 240, summam computamus, efficiuntur 200 dr. fere, cum autem versuum singulorum dimidia parte paullo amplius interciderit, habes quingentas illas drachmas, quas de coniectura adiunxi, ut mille drachmarum summam efficerem.

51) Demar. arch. rat. in latere lin. 26—30.

duobus post Demarem magistratu functum — nam bis occurrit eius nomen in ipsa hac usurarum tabula — ne dimidiam quidem partem pecuniae debitae exigerent? Vereor potius, ne quis mihi obiciat multo maiorem esse hanc mille drachmarum summam, quam ut vera videatur.

Omnia nunc, quae quotannis Apollinis templo rediisse vidimus, in una tabula perspicuitatis gratia perscribam et summam eorum computabo:

A civitate per quaestores tradita	τραπεζῶν:	200 dr.	c. 2046 dr.
	ὅρων:	40 dr.	
	τὸ χορηγικόν:	486 dr. 4 ob.	
	περιὸν ἀπὸ τῶν τεχνιτῶν:	16 dr.	
	ἀγορᾶς:	1303 dr. 3½ ob.	
Locationum et vectigalium	domorum locat. pensae:	1711 dr. 5 ob.	c. 9159 dr.
	— — non solutae:	24 dr.	
	fundorum locationes:	6980 dr. 1 ob.	
	vectigalia pensa:	362 dr.	
	— non soluta:	81 dr.	
Usurarum	pensarum:	421 dr.	c. 1000 dr.
	non solutarum:	80 dr.	
	interciderunt non amplius	500 dr.	
Varia quaedam minora:			c. 230 dr.
Redituum omnium annuorum:			circiter 12435 dr.

Impensas iam dixi esse duobus capitibus perscriptas: ἀναλώματα εἰς τὰ κατὰ μῆνα et εἰς τὰ κατὰ νόμους καὶ ψηφίσματα. Primo capite continentur,[52]) quae ad sacrificia menstrua necessaria erant: porcus templo lustrando (4—5 dr.), ligna (10—25 talenta, pro singulis plerumque 1½ dr. pensae), carbones (9—18 dr.), coronae virides (4 dr.), oleum (χόες seni vel μετρητής = 8 vel 16 dr.), taeda (πεύκη κληματίς = 4 obol.) — haec eadem recurrunt omnibus mensibus (itaque et pretia et pondera in uncis addita non annua, sed menstrua sunt); praeterea semel picis μετρηταί undecim (= 99 dr.), saepius lampades, unguenta, sal, acetum, vinum, alia. Quorum omnium summa est 851 dr. fere; sed cum nonnulla inter-

52) Demar. arch. rat. lin. 180—195 et Homollii commentarius: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 80—82.

ciderint, recte Homollius 100 dr. addit, ut fiant 950 dr.[53]) Sub titulo *ἀναλωμάτων κατὰ ψηφίσματα*[54]) recensentur primum stipendia variis templi ministris pensa (de quibus supra exposui) atque mercedes operariis persolutae (in his tabulae pretium ad hieropoeorum rationes incidendas paratae — 250 fere dr.), deinde impensae factae ad Thesmophoria celebranda, in signum Baccho offerendum (quod non hic solum, sed saepius in variorum annorum rationibus appellatur teste Homollio:[55]) 50 dr.), denique minora quaedam. Summa horum omnium exstat perscripta — 4103 dr. 3¼ obol. Itaque si his addimus 950 dr. superiore capite computatas, videmus impensas annuas ordinarias effecisse paullo amplius 5050 dr., quibus deductis a redituum summa (12435 dr.) reliquae sunt fere 7400 dr.

Ab impensarum summa seclusi ob rationes iam longius explicatas pecunias, quas ut alias ita Demare quoque archonte mutuas datas scimus et civitati (1350 dr.[56]) ad coronam Philippo regi offerendam) et hominibus privatis:[57]) penduntur hae quidem ex aerario sacro, sed non sunt proprie vereque expensae, cum reddi debeant. Maiore iure miretur aliquis, quod omiserim expensa in opera facienda (*εἰς ἔργα*), quorum summa erat 9703 dr. 2 obol.;[58]) sed haec sunt extraordinaria quaedam: ut unoquoque anno sint et opera facta et pecuniae pensae, quod verisimile quidem, at minime necessarium est, ut superiora omnia, tamen vix persuadere mihi possum semper singulis annis ad 10 000 dr. esse hoc nomine expensas, cum superaret haec summa pecunias, quae e reditibus annuis restabant — Demare certe archonte c. 2300 dr. plus est expensum quam acceptum. Quid de Apollinis re familiari futurum fuisse credis, si unoquoque anno idem fieret? Homollius quidem dixit etiam post impensas in opera factas 6000 dr. amplius restitisse e fructibus annuis;[59]) sed nescio quomodo in errorem inductus vir doctissimus et de nostro titulo optime meritus reditibus huius anni adnumeravit 2820 dr. depositas illas quidem in arca sacra ipso

---

[53]) Ibid. p. 84. [54]) Demar. arch. rat. lin. 195—207 cum Homollii commentario: ibid. p. 82—84. [55]) Charil. arch. rat. ined. lin. 37; Sosisthen. arch. rat. ined. lin. 50. [56]) Demar. arch. rat. lin. 59—61. [57]) Ibid. lin. 71—73 et 208—215 (haec tam mutila sunt, ut dubitanter huc referam). [58]) Ibid. lin. 55—59 et 61—71. [59]) Bull. de Corr. Hell. VI, p. 84.

hoc anno, sed perceptas a superioris anni magistratibus, ut etiam referendae sint ad eorum, quibus collectae sunt, annorum reditus — aut pecuniae Demare archonte exactae quidem, in arcam autem non relatae fructibus sequentis anni adnumerandae, quo certe sunt in aerarium relatae sub titulo: *ἱεροποιοὶ οἱ ἐπὶ Δημάρους ἄρχοντος* (nomina) *τὸ περιὸν ἐνοικίων, ἐνηροσίων, τελῶν, δανείων, τόκων.* Consulto etiam inter reditus mentionem non feci 3733 dr. 2 obol. aeris a quaestoribus traditarum,[60]) cum quid de eis facerem, nescirem: extra ordinem quodammodo eas esse pensas vel inde apparet, quod et in pecuniis succedenti collegio tradendis separatim recensentur neque negotiator appellatur, e cuius mensa sint solutae, et ne illud quidem eis additur, ut in reliquis fieri solebat, quo nomine sint in arcam relatae.

Pauca, fateor, sunt, quae mihi certiora licuit investigare de reditibus templi deliaci annuis: neque mirum, cum perdifficile sit unius anni rationibus parvisque aliarum fragmentis usum extraordinaria et fortuita segregare ab ordinariis ac sollemnibus.

Unum addi debet non parvi momenti: collatis Demaris Amphiclisque annorum rationibus cum amphictyonicis desideramus inter reditus annuos unum caput, quod olim longe cetera omnia superasse vidimus — usuras dico ab exteris civitatibus pensas. Harum vestigium inter pecunias Demare archonte perceptas nullum prorsus apparet, tenue quoddam invenitur inter eas, quas inito magistratu hieropoei in arca sacra traditas a superioribus collegiis acceperunt: pecunias quidem, quae in aerarium illatae dicuntur[61]) e Teno insula (42000 dr. paullo amplius) et e Minoe (quarum circa 4000 dr. reliquae). Sed has etiam multo ante Demarem archontem crediderim depositas, cum in rationibus quoque a ceteris omnibus quodammodo seiungantur: universae simul perscribuntur primo loco (et in Demaris et in Amphiclis rationibus), neque usquam appellantur aut negotiatores, e quorum manibus sunt acceptae, aut hieropoei, qui eas in sacro aerario deposuerunt. Nihil igitur obstat mea quidem sententia, ne credamus ex certo quodam tempore nullas iam pecunias exteris civitatibus mutuas datas atque statuamus factum hoc esse, cum vel societas insulanorum dilapsa esset,

---

[60]) Demar. arch. rat. lin. 54—55 et 74—75. [61]) Ibid. lin. 3—8 = Amphicl. arch. rat. lin 3—7.

vel respublica deliaca ab ea discessisset. Nec causa huius rei latet: nulla iam securitas erat templi administratoribus pecunias dei ab his civitatibus recuperandi. Itaque credo summas illas e Teno et Minoe insulis perceptas ultimas rediisse e pecuniis dei delii apud exteros populos foenore occupatis. Tali modo explicatur, cur reditus templi annui (neglectis eis quae expendebantur quotannis pecuniis) duobus saeculis inter marmor Sandwicense perscriptum et Demaris annum interpositis deciderint a sex talentis amplius ad duo fere.

Atque idem efficitur, si tota pecunia dei quanta fere fuerit, spectamus. Ad quam rem si non certa, at probabili ratione enucleandam optimum mihi videtur proficisci non ab illa, quae fuit sub exitum Demaris anni, sacri aerarii condicione, sed ab ea, quam inito magistratu invenerunt hieropoei Silenus et collegae, quia nonnulla, ut supra vidimus, non eo quo debebant tempore, sed anno post absolvebantur. Ad eas pecunias, quas hieropoei illi ipso anni initio a superiore collegio acceperunt traditas (60929 dr. $4\,^{5}/_{6}$ obol.),[62]) addendae sunt primum illae, quarum iam supra mentionem feci, illatae quidem in aerarium ipso hoc anno, sed a priorum iam annorum magistratibus perceptae ideoque ad superiorum annorum reditus referendae (c. 8820 dr.)[63]); deinde adiciendae sunt pecuniae mutuae datae, quarum summam ignoramus, sed ex usuris verisimili coniectura ad 1000 dr. aestimatis colligere possumus non maiores fuisse 10 000 dr. Quorum omnium si summam facimus, hunc fere in modum eorum tabula constitui potest:

In aerario sacro inventa anni initio:			60 929 dr. $4\,^{5}/_{6}$ ob.
Anno hoc ipso illata, sed prioribus percepta:			
Telesarchide archonte	6998 dr. $4\,^{11}/_{12}$ ob. 1600 dr.	8598 dr. $4\,^{11}/_{12}$ ob.	8819 dr. $3\,^{1}/_{6}$ ob.
Phocaeeo archonte		220 dr. $4\,^{1}/_{4}$ ob.	
Ex aerario hominibus quibusdam privatis mutuae datae non amplius:			10 000 dr.
		Summa universa: circa	79 750 dr.

Ergo videmus omnium dei pecuniarum summam fuisse initio Demaris anni certe 80 000 dr. non maiorem: quam haec distant ab

62) Demar. arch. rat. lin. 37. 63) Ibid. lin. 40—41 et 47—50.

illis, quas tempore administrationis amphictyonicae computavimus pecuniis — 280 000 dr. multo amplius! Sed non est obliviscendum in hac summa dei pecuniarum non esse numeratas, quae civitati ipsi deliacae erant mutuae datae. Neque mille drachmae illae, quae ipso hoc anno *εἰς ἀπόδοσιν τῶν δανείων τῶν ὀφειλομένων τῷ θεῷ παρὰ τῇ πόλει* scribuntur a quaestoribus pensae,[64]) totum sunt aes alienum a republica debitum: e verbis enim *κατὰ διάταξιν* additis sine dubio apparet fuisse pactum quoddam inter civitatem templique administratores constitutum certe e decreto populi, ut ad debita solvenda pecuniae summa certa (mille drachmae) publice penderetur sacro aerario quotannis, ut videtur, dum aere alieno omni liberaretur civitas. Confirmata est mea sententia, cum invenerim eandem summam, quam Demare archonte quaestores Menyllus et Phocaeeus dicuntur in arcam sacram retulisse, esse pensam non solum a superioris anni quaestoribus Caebone et Mnesiclide,[65]) sed etiam a Xenone et Thucydide,[66]) qui magistratu hoc sunt functi Parmenione archonte (a. 174). Quibus casibus sit respublica deliaca coacta tantum aes alienum contrahere, ut per octo minimum annos non expenderet, ne coniectando quidem assequi possumus: verisimillimum videtur hoc factum esse tempore belli Macedonici initio saeculi secundi. Item pecunia mutua sumpta quanta fuerit, quaerenti id solum dici potest non parvam fuisse pro civitatis condicione. Sed etiamsi exempli gratia statuamus decem fuisse talentum summam — atque maiorem vix sumi posse ut in rebus dubiis affirmare licet, cum vel ad hanc persolvendam sexaginta annis opus esset —, tamen additis decem his talentis ad octoginta milia drachmarum, quot supra invenimus fuisse dei pecunias Demare archonte, non amplius efficiuntur quam 140 000 dr., i. e. dimidia pars illius pecuniae, quae quondam tempore dominationis atticae fuerat dei propria.

Neque difficile est divinare, quibus causis factum sit, ut tantopere imminuerentur templi opes: Athenienses quidem quamdiu templi rem pecuniariam administrabant, satis magna erat certe eorum potentia, ut pecunias exteris civitatibus mutuas datas exi-

---

64) Demar. arch. rat. lin. 42. 65) Ibid. lin. 26—27: *ἀντὶ ἀποδόσεων ὧν πρότερον ἐψηφίσατο ὁ δῆμος.* 66) Amphicl. arch. rat. lin. 60—61.

gerent; sed statim post fractam eorum dominationem Delios ad debita ab insulanis recuperanda coactos esse iam vidimus Ptolemaei auxilium implorare. Fuerintne omnia recte persoluta, e decreto, quo ob opem latam Philocles collaudatur, non perspicitur; certe e Demaris rationibus apparet etiam liberae reipublicae tempore, quamdiu in insulanorum societate erat, pecunias esse extra civitatis fines mutuas datas, quarum maximam partem credo nunquam templo persolutam, postquam respublica deliaca Philippi regis partes sequi vel maluit vel est coacta.

Quoquo modo de causis iudices, de re ipsa non licet dubitare, quin sint pecuniae dei propriae ad dimidiam fere partem redactae; fundorum quoque templi perspeximus numerum certe esse imminutum; domorum solum et pretium crevisse et numerum auctum esse vidimus; ceterum reditus quoque, quod aliter esse non poterat, ad tertiam fere partem summae illius redacti sunt, quam quondam Athenienses percipere solebant. Avidi scilicet erant bonorum alienorum Athenienses, quibus administrantibus magis floruit opibus templum Apollinis, quam libertate a republica deliaca recuperata!

Sed ne iniusti simus erga hieropoeos deliacos, locupletata sunt alia ratione eorum templa — donis maximi pretii olim insolitis a regibus et dynastis purpuratisque eorum, a magnis etiam civitatibus Rhodi et Alexandriae oblatis, quae omnia numerata ac pensa (*σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ*) videmus in altera hieropoeorum rationum parte accuratissime perscripta inventaria templorum, ut iam dixi, continente.[67]) Qua in parte pertractanda eo brevior esse possum, quod Homollius omnia fere, quae de eis dicenda erant, summa diligentia maximaque eruditione commentario suo exposuit,[68]) adhibitis semper aliis titulis, quorum usus mihi quidem non patet.

Habebant hieropoei curam donorum non solum, quae in magno Apollinis templo, sed etiam quae in aliis aedificiis in sacro *τεμένει* sitis asservabantur. Quorum quinque in Demaris archontis rationibus nominantur: Apollinis templum, Artemisium, *Νεὼς οὗ τὰ ἑπτά*, *πώρινος οἶκος*, *Ἀνδρίων οἶκος*.[69]) Atque tria priora iam tem-

67) Bull. de Corr. Hell. VI, p. 29—51: Dem. arch. inv. lin. 1—216.

68) Ibid. p. 85—167. 69) Demar. arch. inv. lin. 1—155, 179—216, 177—178, 179, 155—177.

pore administrationis amphictyonicae nobis sunt nota, ut demonstrare supra conatus sum, sub aliis nominibus, reliqua duo non ante medium saeculum tertium apparent in hieropoeorum tabulis, quamquam fortasse exstructa sunt multo iam prius; *οἶκον* certe alterum ab Andriis, ut nomen ipsum indicat, deo consecratum crediderim iam tempore amphictyoniae attico-deliacae, quo etiam amphictyones eorum appellantur, ad dona sua recipienda, postea vero societate dilapsa derelictum et a Deliis ad varios usus adhibitum — primum ibi discimus ligna, trabes, tegulas, alia ad aedificandum necessaria asservata,[70]) Demaris autem tempore ac iam aliquot annis ante dona Apollini dicata minoris pretii; de porino oeco, cuius nomen unde ductum sit, ipsum indicat, nihil dici potest, nisi e Demaris rationibus apparere pauca tantum in eo esse dona deposita — sedecim vascula numerantur argentea.[71]) Praeter quinque haec aedificia alia duo commemoranda sunt, quae Homollius dixit[72]) initio tantum saeculi tertii in inventariis appellari — *Εἰλειθυιαῖον* et Chalcothece: prius esse Ilithyiae deae templum non est quod moneam, quam e titulis deliacis scimus donis quoque honoratam, atque antiquitus quidem, cum eius fanum primis tantum liberae reipublicae annis usque ad Charilam archontem (269) occurrat in hieropoeorum tabulis, postea vero desertum videatur omni supellectile in alia translata;[73]) Chalcothece utrum res tantum aeneas continuerit, ut nomen indicat, an alias etiam maioris pretii, ex Homollii silentio diiudicari non quit; sed certe post Hypsoclem archontem (a. 279) in rationibus non amplius commemoratur, quamobrem ad eam sententiam inclino, cum templum non esset, consulto esse dirutam. Mentionem fecit Homollius aliorum etiam quorundam aedificiorum, in quibus asservabatur ut in *Ἀνδρίων οἴκῳ* quondam materia varia ad aedificandum necessaria — sunt haec: *Δηλίων οἶκος*,[74]) *Ναξίων οἶκος*,[75]) *πλίνθινος οἶκος*,[76]) de quibus quae iam alio loco breviter exposui, ad ea nihil addere possum.

---

70) Charil. arch. inv. ined. lin. 93—98: Bull de Corr. Hell. VI, p. 135.

71) Ne unum quidem versum complent: Demar. arch. inv. lin. 179.

72) Bull. de Corr. Hell. VI, p. 87.

73) Ctesilidis *φιάλη* deae dicata primumque in eius templo asservata (Hypsocl. arch. inv. ined. lin. 115) Demare archonte in Apollinis aede invenitur (Demar. arch. inv. lin. 50).

74) Charil. arch. inv. ined. lin. 98—99.

75) Agatharch. arch. inv. ined.

76) Charil. arch. inv. ined. lin. 99—102.

In sacris aedificiis hieropoeorum curae mandatis asservari solebant praeter dona Apollini et sorori matrique eius dicata alia quaedam aliis deis consecrata: Veneri,[77]) Aesculapio,[78]) Hecatae,[79]) quamvis hi suum quisque templum haberent e titulis cognitum. Neque haec fana (Aphrodision,[80]) Asclepieion,[81]) Hecatae ἐν Νήσῳ templum[82]) vel potius sacellum) neque alia, quae item in titulis commemorantur — Thesmophorion,[83]) Sarapeum et Isieum[84]) (haec

---

[77]) Huic deae, cuius cultum iam Theseus instituisse dicitur (Plutarch. cap. 21; Paus. IX, 40, 2), »Ptolemaeus Lagi Macedo« (nondum rex appellatus) dicaverat θηρίκλειον auream 423 dr. pondo (Demar. arch. inv. lin. 181); quaedam dona iam Scylaco archonte (a. 230) dicuntur ἐξ Ἀφροδισίου translata in magnum Apollinis templum teste Homollio (Bull. de Corr. Hell. VI, p. 87, not. 1): Scylac. (?) arch. inv. ined. lin. 43.

[78]) Aesculapii sacrum fuisse disertis verbis solum λειμώνιον χρυσοῦν dicitur in Demar. arch. inv. lin. 11; sed eiusdem dei propria fuisse credo dona illa omnia, quibus adscriptum est dicata ea esse ἱεράζοντος τῷ Ἀσκληπιῷ τοῦ δεῖνα (ibid. lin. 43—45, 48, 110). [79]) Duo dona nomine eius inscripta sunt (ibid. lin. 45 et 176), duo alia certe eidem tribuenda sunt, cum appellentur σκάφια τῶν ἐκ τῆς κιβωτοῦ τῶν ἐκ Νήσου (ibid. lin. 28). [80]) Non magnum videtur fuisse vel non magnopere cultum, cum ἐκ θησαυροῦ τοῦ ἐν Ἀφροδισίῳ hieropoei obolis tribus non amplius percepisse se profiteantur: Demar. arch. rat. lin. 156.

[81]) Demar. arch. rat. lin. 156: ἐκ θησαυροῦ τοῦ ἐν Ἀσκληπιείῳ (3 dr. 1½ ob.) et lin. 196: νεωκόρῳ ἐπ' Ἀσκληπιείῳ. Cfr. etiam titulum nuper ab Homollio publici iuris factum (Bull. de Corr. Hell. XII, fasc. 5), ubi de statua dei reficienda aliisque operibus in templo eius factis agitur, commentariumque ab editore adiectum luculentissimum. [82]) Hecate habebat in parva insula, quae nunc Rheumatiari appellatur, antiquitus vero a dea ibi culta nomen ducebat (Hecatae Insula, saepissime etiam Νῆσος nominatur), templum proprium vel sacellum potius: Homollius quidem ei aram tantummodo tribuit (Bull. de Corr. Hell. VI, p. 142), sed cum nulla attulerit testimonia, coniectura id assecutus videtur; quare equidem magis inclino ad sententiam, ut aediculam quamlibet parvam deae consecratam esse credam, quoniam appellatur θησαυρὸς ὁ ἐν Νήσῳ, unde hieropoei Demare archonte duas drachmas accepisse se profitentur (Demar. arch. rat. lin. 156) — sint sane parvi reditus, quarto tamen tanto maiores sunt quam illi ex Aphrodisio percepti. [83]) Demar. arch. rat. lin. 198: χοῖρος τὸ Θεσμοφόριον καθάραι. [84]) Isieum semel commemoratur in Demar. arch. inv. lin. 230 (ubi de operibus ibi faciendis agitur), Sarapeum et hic (lin. 220) et in eiusdem anni rationi-

fortasse in uno aedificio coniuncta), templum *Διὸς Κυνθίου καὶ Ἀθηνᾶς Κυνθίας*[85]) in Cyntho monte, ut cognominibus iam indicatur, situm, denique Bacchi,[86]) Dioscurorum,[87]) Neptuni, Panis[88]) —, videntur hieropoeorum potestati subdita fuisse, quamquam e ratio-

---

bus bis: lin. 156 (ubi quindecim drachmas accepisse se profitentur hieropoei *ἐκ θησαυροῦ τοῦ ἐν Σαραπιείῳ*, h. e. eandem summam atque ex magno templo) et 196.

85) Rudera huius templi iam pridem cognita a Lebegio sunt explorata et descripta in libro »Recherches sur Délos« inscripto; idem aliquot titulos ibidem publici iuris fecit ad cultum horum deorum pertinentes (No. 1—16), quorum unus (n. 16 = *Ἀθήν.* IV, p. 455) certe ad tempora reipublicae liberae deliacae referendus est e nomine archontis Demeae, quod ibi occurrit. 86) De hoc nihil certa ratione est traditum, sed dubio non videtur obnoxium fuisse in insula templum eius sanctissimum, cum et *ἄγαλμα* ei dicaretur quotannis Galaxione mense (Bull. de Corr. Hell. VI, p. 83) et Dionysia secundum Apollinea essent civitatis deliacae celeberrima festa (cfr. titulos choragicos); quanta pietate deus fuerit cultus, sat magnus demonstrat numerus signorum eius, quorum fragmenta, capita inprimis usque ad nos devenerunt; de quibus cfr. Homollii disputationem »Notes sur trois têtes de marbre trouvées à Délos« inscriptam (Bull. de Corr. Hell. V, p. 507 511). 87) Dioscurorum quidem templum nusquam in titulis reipublicae liberae commemoratur, sed fit mentio festorum *Διοσκουρίων* (Demar. arch. rat. lin. 187), quae vix sine sacello celebrari poterant; tempore autem dominationis atticae semper Dioscuros invenimus appellatos una cum Cabiris, ut minime mihi videar temere statuere in uno eodemque templo esse eos cultos iam illo, de quo nunc agimus, tempore (infra opinionem meam de deis his uberius exponam) in eo templo, quod Reinachius investigavit haud procul ab Inopi ripis: cfr. eius disputationem »L'Inopus et le sanctuaire des Cabires« inscriptam (Bull. de Corr. Hell. VII, p. 329—373). 88) Neque Neptuni neque Panis templa novimus, sed fuisse ea Deli verisimile videtur ob festa in honorem eorum, *Ποσίδεια* et *Πανεῖα*, celebrata — teste Homollio: Bull. de Corr. Hell. VI, p. 82, not. 3 et p. 144 (hic adfert e Scylaci arch. inv. ined. lin. 57—63, ubi commemorantur *Πανεῖα*). Pani etiam Antigonus Doson non dedignatus est phialen dicare in templo Apollinis asservatam: Demar. arch. inv. lin. 48. Commemoranda saltem est hic inter deos minoris dignitatis Vesta dea, cui videmus turibulum esse dicatum (Demar. arch. inv. lin. 143) — templum certe non habuit, sed aram eamque in Prytaneo consecratam, ut e nomine, quo appellari solet, apparet: *Ἑστία Πρυτανεῖα*.

nibus patet etiam haec templa pecunias, quibus indigebant ad opera facienda,[89]) ad festa celebranda,[90]) ad varias impensas minores,[91]) omnes accepisse ex eodem aerario sacro, cui hieropoei praeerant. Certum igitur mihi videtur Deli non aliter rem gestam atque Athenis, ut omnium deorum pecuniae in sanctissimum civitatis templum congererentur ibique administrarentur a sacri aerarii quaestoribus (Athenis a ταμίαις τῆς θεοῦ et τῶν ἄλλων θεῶν sine dubio in Parthenone, quem appellare consuevimus; Deli in Apollinis templo ab hieropoeis), supellex autem sacra et dona varia in singulorum deorum, quibus dicata erant, asservarentur templis ab eorum sacerdotibus aut antistitibus, nisi quod paucae quaedam res nescio quam ob causam interdum in aliud transferebantur.[92]) Mirandum tamen est, quod nusquam, quantum scio, in hieropoeorum rationibus fit Latonae templi mentio,[93]) de quo Strabonis testimonio constat,[94]) quod in sacro Apollinis τεμένει situm atque idcirco hieropoeorum curae mandatum fuisse verisimillimum videtur. Cuius rei causa non perspicitur — fortasse aedicula tantum erat tam angusta,

[89]) Exempli gratia ad reficiendum οἶκον τὸν ἐν τῷ Σαραπιείῳ (Demar. arch. inv. lin. 220) et οἶκον τὸν ἐχόμενον τοῦ Ἰσιείου (ibid. lin. 230).

[90]) Demar. arch. rationibus usus haec invenio festa »aliorum deorum« (ut verbo hoc utar Athenis usitatissimo), ad quae celebranda hieropoei pecunias ministrant ex sacro aerario: mense Artemisione — Artemisia Britomartia, quae minime pertinuisse puto ad Dianam Deliam (lin. 186), Thargelione — Dioscuria (lin. 187), Hecatombaeone — Aphrodisia (lin. 189), Metageitnione — Thesmophoria (lin. 198 et 200): de signo Galaxione mense Baccho oblato (lin. 198) iam sum locutus. [91]) Singula afferre taedet, cum pleraque aliis locis iam attigerim: perlegas Demar. arch. rat. lin. 195—202. [92]) Non Deli tantum, sed etiam Athenis: hic in Hecatompedi inventariis appellatur inde ab Ol. 88, 1 καρχήσιον Διὸς Πολιῶς (C. I. A. I, 123, lin. 18—19), quod ex ruina totius sacri aerarii superfuit atque denuo apparet in quarti saeculi inventariis (C. I. A. II, 652, lin. 47 48); in eodem inventario ad Ol. 95, 3 pertinente invenimus res quasdam aureas Artemidi Brauroniae dicatas (C. I. A. II, 652 A, lin. 48—49; B. lin. 6—7), quae certe in arce templum suum proprium habebat. [93]) Dicit quidem Nenz (Quaest. del. p. 26) »fanum ei dedicatum in inscriptionibus exstare« atque provocat etiam ad Homollii testimonium; sed vir hic doctissimus eo, quem appellat, loco (Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 142) nihil dicit nisi scire nos (e Strabone videlicet) Letoum Deli fuisse. [94]) Strab. X, 5. 2.

ut dona nulla capere posset eaque omnia asservarentur in Apollinis fano, ubi certe saepius appellantur *φιάλαι* resque aliae huic deae vel soli vel una cum filio dicatae.[95])

Non locus hic est ne pretiosiora quidem dona singulatim perscribendi (quaedam iam attuli memoratu dignissima), possum tantum mentionem facere eorum, quae quotannis deo Delio dicari solebant ab eisdem semper donatoribus. Iam tempore administrationis amphictyonicae vidimus magnis Apollinis festis — Deliis — dicari solitas esse ab Atheniensium republica singulas coronas aureas, quas pentetericas nominatas esse cognovimus; post templum Deliis redditum festa quidem quinquennalia celebrari desita sunt primumque denuo locum obtinuerunt sollemnia pristina annua — Apollinea (*Ἀπολλώνια*), sub amphictyonum administratione, ut iam vidimus, prae Deliis paene oblivioni data; ad quae iam usus ille est translatus dona dicandi eadem semper certo temporis intervallo redeuntia eo discrimine, ut e quinquennalibus annua fierent sicut ipsa festa atque, qui offerebant deo, non iam Athenienses essent (quorum neque theoriae neque dona fere ulla in hieropoeorum inventariis[96]) commemorantur), sed alii, reges hominesque privati. Ex quibus nonnulli non solum vivi deum ornaverunt donis annuis, sed etiam, ne post mortem offerri quotannis desinerent, curaverunt pecuniis depositis, quarum ex usuris a senatu, ut videtur, administratis et dona eadem compararentur et sacrificia vel festa in ipsorum honorem deo fierent.[97]) Primi hic sunt appellandi Ptolemaei reges duo Philadelphus et Euergetes (de Sotere nihil tale est notum) atque Philetaerus Pergamenus, quorum nominibus etiam Demare archonte et phialae singulae ab hieropoeis aut quaestoribus in templum inferri solebant et sacrificia fieri;[98]) per bre-

---

[95]) In Dem. arch. inv. lin. 4 appellantur anulus aureus et monile artificiosum magni pretii deae a Stratonice regina oblata, in magno Apollinis templo asservata. [96]) Phialae duae, non amplius, Demare archonte commemorantur ab Atheniensibus dicatae, quarum una in magno templo (lin. 38), altera in *ναῷ οὗ τὰ ἑπτά* (lin. 176) asservabatur. [97]) Qua de re cf. Homollii commentarium in Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 110—115, 142—145, 157—166 et »Archives« etc. p. 47—54. [98]) *Εὐτύχεια Φιλαδέλφεια* credo fuisse non duo festa (quae Homollii sententia est), sed unum; quare binas phialas quotannis *Εὐτυχείων Φιλαδελφείων* nomine in templo depositas et ab hieropoeis quidem, cum reliquae eiusmodi a

vius temporis spatium Antigonus Gonatas cum Stratonice uxore (inde ab anno 252), deinde filius eius Demetrius (inde ab a. 237), postea Antigonus Doson deum Delium liberalitate sua locupletasse videntur, neque inveni apud Homollium, fuerintne post eorum mortem continuata haec dona vel celebrata Ἀντιγόνεια et Στρατονίκεια:[99]) Dosonis quidem vascula tria aurea etiam Pantaeno (a. 215?) et Callia (a. 201?) archontibus dicuntur Apollini oblata;[100]) sed cum singulatim tantummodo appellentur, vix credibile videtur esse ea e certae pecuniae usuris comparata, sed verisimilius a Philippo rege (ut saepius fieri solebat) avunculi mortui nomine dicata. Neque Philippus hic Macedo cum filiis[101]) neque Attalus Eumenesque Pergameni,[102]) quamquam multis magnique pretii donis locupletaverunt templum, constanter hoc omnibus annis videntur fecisse, nedum de aliis loquar regibus, qui fortuito magis vel casu quodam extraordinario permoti deum coluerunt: Seleucus Nicator, Antiochus

---

quaestoribus tradi solerent — adscribo Ptolemaei Philadelphi liberalitati et munificentiae; nam incredibile mihi videtur posse quaedam festa *Εὐτύχεια* simpliciter appellari: aut nomen est repetendum a cognomine quodam Philadelphi, ut diadochi qui dicuntur cognominibus abundabant, aut erant dicata festa *Τύχῃ τῇ Φιλαδέλφου*, ut Romani »genio Augusti« dicebant. Locos, ubi haec festa et phialae in Demar. arch. inv. commemorantur, iam attuli: p. 101, not. 32. — Festa in honorem Ptolemaei Euergetae et Philetaeri instituta et phialae singulae *Εὐεργεσίων* et *Φιλεταιρείων* nomine deo oblatae semel tantum in Demar. arch. inv. (lin. 54) nominatim commemorantur; sed infra demonstrabo eas item quotannis etiam hoc tempore esse dicatas.

99) Factum hoc esse apparet certe usque ad Scylacem archontem: cfr. eius anni inv. lin. 57–63, ab Homollio publici iuris factas in Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 144. 100) Pantaeno archonte: Demar. arch. inv. lin. 42; Callia archonte: ibid. lin. 20 et 161; praeterea Polystrato archonte (a. 224): ibid. lin. 48. 101) Philippus rex in Demar. arch. inv. non occurrit, sed appellantur filii eius Perseus (lin. 56) et Demetrius (lin. 75), quorum uterque Apollini dicaverat *στέφανον χρυσοῦν ἐπὶ κώνου.*

102) Attalus dicaverat coronam auream 100 dr. (Demar. arch. inv. lin. 61) et phialam caelatam (ibid. lin. 183), cuius pondus nescimus; Eumenes quater commemoratur ob quattuor coronas aureas Apollini dono datas (ibid. lin. 99, 101, 105, 129—130) centenarum dr. praeter unam, cui pondus non est adscriptum.

Magnus, Ptolemaeus Epiphanes cum uxore Cleopatra.[103]) Secundo loco commemorandae sunt Rhodiorum et Coorum reipublicae, quae medio saeculo tertio, ut iam dixi, assidue deum Delium colebant theoris publicis cum donis maximi pretii ad festa eius quotannis mittendis, sub exitum vero saeculi eas fere prorsus intermiserunt, ut Demare archonte rarissime in donatorum numero appellentur. Inter privatorum *ἀναθήματα* quotannis repetita mentio est facienda de phialis singulis (saepissime etiam binis), quas Thyestadarum et Ocynidarum trittyae per trittyarchos suos deo offerre consueverant: occurrunt in hieropoeorum rationibus inde a Philio archonte (a. 285) usque ad Demarem (a. 180) atque certe etiam longius, nullo fere anno intermisso;[104]) minus assidue videntur Theandridae et Mapsichidae deum honorasse, quamquam saepius eorum *φιάλη* commemoratur, quam consecrasse dicuntur *ἀπαρχήν*.[105]) E reliquis omitto illos, a quibus per brevius tempus (si cum aliis conferas) sunt dona in templum dicata, quamvis etiam ab his sint pecuniae depositae, ne post mortem intermitteretur donorum series: Hermian,[106])

---

[103]) Appellantur in Demar. arch. inv. Seleucus: lin. 31, Antiochus: lin. 67, Ptolemaeus Epiphanes: lin. 139. [104]) Qua de re cfr. Homollii »Archives« etc. p. 47—54 ac maxime tabulam in p. 50 scriptam et de saeculo secundo trittyarchorum catalogum, quem ipse adieci p. 111 in nota 8. [105]) In Demar. arch. inv. appellantur Theandridae ter eodem anno, cum tria vascula dicarint *ἐφ' ἱερέως Πολύβου* (lin. 46, 159 et 160), qui sacerdotio Apollinis est functus (lin. 46) archonte Lycade (a. 227); Mapsichidae ibidem occurrunt item ter (lin. 20, 97, 114), sed variis annis, quaestore Aphthoneto (annus incertus) et archontibus Sosico (a. 235) et Callia (a. 206?), saepius autem appellantur in Sosici arch. inv. teste Homollio, qui ex titulo hoc nondum edito attulit (Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 145, not. 2) versum unum: *ἄλλαι φιάλαι, Μαψιχιδῶν ἀπαρχή, ἐπ' ἀρχόντων Ἀκριδίωνος* (a. 240), *Ἀγαθάρχου* (a. 239), *Δωριέως* (a. 238) etc.

[106]) Hic per duodeviginti annos a Milichide (a. 267) ad Sosisthenem archontem quotannis singulas phialas consecravit: Sosisthen. arch. inv. ined. lin. 112—119 apud Homollium »Archives« etc. p. 48, not. 1, qui eundem fuisse credit Hermian hunc atque nesiarchum eiusdem nominis appellatum in Demar. arch. inv. lin. 71; qua in re viro doctissimo assentiri non possum, quia mirum esset, si post multos annos intermissos denuo dicaretur phiala eius nomine appellata Diogene archonte (a. 197), postea vero per decem et octo annos usque ad Demarem archontem ne

Nicolaum Dei f.[107] Aetolum (*Νικολάεια*), Sopatrum (*Σωπάτρεια*), Pataecum (*Παταίκεια*), alios.[108] Videmus enim saeculi secundi initio quotannis praeter trittyarum phialas vicenas binas alias in templum tradi solitas, ab hieropoeis (superioris plerumque anni) — binas *Εὐτυχείας Φιλαδελφείας* (de his supra), vicenas a quaestoribus, vel potius senas denas et quaternas: nam semper fere separatim appellantur. De senis denis illis nihil dici potest, nisi usque ad Telemnesti archontis annum (a. 203) fuisse quinas denas, sextam decimam inde ab anno proximo constanter additam;[109] quaternarum vero etiam donatores investigare possumus: cum enim Tlepolemus et Nicarchus quaestores (a. 203) praeter quindecim tradidisse dicantur quattuor *Εὐεργεσίων*, *Φιλεταιρείων*, *Σωπατρείων*, *Παταικείων* nomine appellatas,[110] necesse est easdem fuisse atque illas, quae nullo nomine addito solebant unoquoque anno dicari.[111] Ultimae sunt commemorandae series vasorum annuae quattuor, quarum una longissima, item a privatis hominibus consecratae, quae partim per templa omnia distributa erant, partim in prytaneo asservabantur: primum enim archon, ut iam dixi, eis usus videtur,

---

una quidem consecraretur, deinde quod nesiarchi nomine appellari poterat per muneris sui tempus, non post mortem.

[107] Primam phialam dicaverat Sosisthene archonte (a. 250), ubi appellatur paterno etiam nomine addito: Sosisthen. arch. inv. ined. lin. 127; commemorantur *Νικολάεια* etiam in Scylaci arch. (a. 230) inv. ined. lin. 63, sed Demare archonte non amplius occurrunt. [108] *Σωπάτρεια* et *Παταίκεια* appellantur in Demar. arch. inv. lin. 54; praeterea donator quidam Pataecus ter ibidem nominatur (lin. 157—158 et 160—161), semel addito nomine Doriei (a. 238) archontis, quo donum deo dicaverat.

[109] Quindecim tradunt quaestores Nicon et Nicomachus, qui Amno archonte (a. 204) munere functi sunt (Demar. arch. inv. lin. 17—18), totidem eorum successores Tlepolemus et Nicarchus (ibid. lin. 18): sedecim — quaestores Callias et Telesarchides (ibid. lin. 56), qui munus obierunt Leucino archonte (a. 202); deinde idem numerus consecratur a quaestorum collegiis, qui fuerunt a. 201 (lin. 58), 200 (59), 199 (62), 198 (67), 197 (68—69), 196 (72), 195 (78), 194 (76), 193 (83—84), 192 (84). 191 (86—87), 190 (88), 189 (104—105), 188 (105—106), 187 (113), 186 (126), 185 (135), 184 (136), 183 (140), 182 (141), 181 (150), 180 (155).

[110] Demar. arch. inv. lin. 54. [111] Ibid. lin. 57, 59, 60, 62 etc., cfr. supra not. 109.

postea crescente ultra modum eorum numero tradebantur hieropoeis. Sunt series hae: *σκάφια φιλωνίδεια*, nominata a Philonide Hegesagorae filia, quae dicaverat,[112] *σκάφια* (aut interdum *κύλικες*) *μικύθεια*, item a Micytho donatore,[113] *φιάλαι γοργίειοι* — a Gorgia quodam,[114] *σκάφια στησίλεια* — omnium series antiquissima, cum primum sit vasculum iam Lysixeno archonte (a 301) dicatum;[115] horum bina quotannis solebant consecrari, interdum nomine etiam donatoris inscripta: *Στησίλεως Διοδότου Ἀπόλλωνι Ἀφροδίτῃ.*[116] Huius fortasse Stesilei filia erat Echenice illa, iam e Semi *Δηλιάδος* fragmentis nota,[117] quae et aliis donis templa Apollinis et Artemidis locupletavit[118] et 3000 dr. consecravit *εἰς θυσίαν Ἀπόλλωνί τε καὶ Ἀφροδίτῃ*,[119] eisdem scilicet deis, quos Stesileum quoque vidimus honorasse. Ex his verbis etiam illud discimus, qua ratione sacrificia haec annua et continua donorum series institui solita sint.[120]

---

112) Cfr. Demar. arch. inv. lin. 99—100: *σκάφιον φιλωνίδειον ἐπ' ἄρχοντος Ξενομήδου* (a. 218) *Φιλωνὶς Ἡγησαγόρου.* 113) Cfr. ibid. lin. 172—173: *κύλικα μικύθειον ἐφ' ἧς ἐπιγραφή· ἄρχοντος Ἐμπέδου* (a. 187) *Μίκυθος Γῇ Δήλῳ* (correxit Dittenberger in Syll. Inscr. Graec. 367).

114) In Menethalis arch. (a. 229) inv. ined. lin. 78 mentio fit pecuniae, quam ad hunc usum Gorgias deo dicaverat, 6730 dr.: Homollii »Archives« etc. p. 49, not. 2. 115) Cfr. Sosisthen. arch. (a. 250) inv. ined. lin. 129: *καὶ τάδε ποτήρια ὧν ἀνέθηκε Στησίλεως· ἐπὶ Λυσιξένου θηρίκλειος καὶ κυμβίον* etc. apud Homollium »Archives« etc. p. 52, not. 8.

116) Cfr. Demar. arch. inv. lin. 127—128 et 131, paullo immutata est formula lin. 112. 117) Athen. XI, p. 469 c. 118) Demar. arch. inv. lin. 7. Plurima eius dona oblata erant Sosisthene archonte (a. 250): cfr. quae ex huius anni inventariis nondum editis protulit Homollius (Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 113, not. 4 et 114, not. 1). 119) Sosisthen. arch. inv. ined. lin. 120: protulit Homollius in libro suo »Archives« etc. p. 49, not. 2. 120) Forsitan ad has donorum quotannis redeuntium series sint addendae duae aliae e phialis compositae aureis: iam ipsa materia haec est memorabilis, cum plerumque solitae sint ex argento comparari; quod vero maioris est momenti ad sententiam meam probandam, eiusdem fere sunt ponderis — unius seriei vascula septem 135—149 dr. singula, alterius sex (septima videtur ex Apollinis templo in Artemisium translata) 190—198 dr. —, atque omnes utriusque generis phialae eadem forma et titulo sunt insignes: prioris — *φιάλη λεία χρυσῆ ἐπιγραφὴν ἔχουσα Ἀπόλλωνος Δηλίου, Ἀρτέμιδος Δηλίας* (Demar. arch.

Operae pretium sit comparare auri argentique copiam Demare archonte ab hieropoeis in variis templis pensam cum illa, quam Atheniensium amphictyones Ariston eiusque collegae Timocratis anno insequenti collegio se tradidisse profitentur; sed difficultas inde oritur, quod in hieropoeorum potissimum inventario res multae sunt numeratae, non pensae — *ἄστατοι*. Nihilominus cum non interesset ad drachmam aestimare dei supellectilem, sed sententiam ferre, auctaene essent templi divitiae an imminutae, accuratissime collegi omnia, quae perscripta exstant, auri argentique pondera in singulorum templorum inventariis. Ac de Andriorum quidem *οἴκῳ* et de Porino nihil potest dici, cum in neutro ne una quidem res exstet, cui pretium adscriptum sit, argentea: ceterum in hoc novem non amplius inveniuntur phialae, in illo paullo plures ex argento factae — auri nihil. In opulento illo quondam templo *οὗ τὰ ἑπτὰ* (= *Ἀθηναίων νεώς*) Demare archonte duae tantum coronae a Nicia et Autocle Atheniensibus dicatae e pristino ornatu reliquae erant, accesserant novem phialae et clipeus — argentea haec et non pensa. Imminutae item sunt Artemisii divitiae: perscripta inveni (atque hic quidem res non pensae fere nullae exstant) auri 3896 dr. pondo, argenti 64401 dr., quorum summa ad argentum aestimata ita, ut statuamus drachmae aureae pretium par fuisse decem argenteis (ut Romani in foedere cum Aetolis icto statuerant[121]) a. u. c. 565), efficit 103361 dr. vel 17 tal. 1361 dr. Contra in magno Apollinis templo mirandum in modum creverat omnis sacrae supellectilis copia ingenti phialarum aliorumque vasculorum numero a variarum nationum donatoribus oblato, ut collectis omnibus ponderis signis, quae hic in dimidia quidem parte donorum desiderantur, numerentur auri 8093 dr. 4½ obol. pondo, argenti 145415 dr. 3 obol., vel tota summa — ad argentum computata ut supra — 226353 dr. aut 37 tal. 4353 dr. Quae ut commodius conferri possint cum pretio donorum in eisdem templis asservatorum tempore administrationis amphictyonicae, tabulam propono, ubi in columna sinistra exstant scriptae summae ab amphictyonibus inventae, dextra summae ab hieropoeis aestimatae:

---

inv. lin. 78—80), alterius — *φιάλη χρυσῆ χαρυωτή· ἐπιγραφή· Ἀπόλλωνος Δηλίου* (ibid. lin. 80—82 et 181—182).

[121]) Polyb. XXII, 13, 8 ed. Dindorf; T. Liv. XXXVIII, 11.

In Ἀθηναίων νεῷ:	1 tal. 4755 dr.	— in νεῷ οὗ τὰ ἑπτά:	nihil fere.
In Artemisio:	34 tal. 2318 dr.	— in Artemisio:	17 tal. 1361 dr.
In Δηλίων νεῷ:	3742 dr.	— in Ἀπόλλωνος νεῷ:	37 tal. 4353 dr.
In tribus templis:	36 tal. 4815 dr.	— in tribus templis:	54 tal. 5714 dr.

Cum tabula haec ipsa pro se loquatur, nihil adiciam, nisi Timocrate archonte donorum omnium pretium etiam cum iis, quae pensa non erant, ultra 40 tal. vix aestimari posse, Demaris autem anno idem 80 tal. certe non minus fuisse, fortasse usque ad 100 tal. (sed non amplius) esse progressum.

Conati sumus investigare, quae fuerint praedia templi, quantae pecuniae a deo possessae, qualis sacrae supellectilis condicio quindecim annis ante interitum reipublicae deliacae. Et hic nobis est relinquenda templi ipsius administrationis memoria, deficientibus ex tempore dominationis atticae secundae documentis, e quibus restitui possit;[122]) itaque satis habere debemus insulae vices primo florentis, deinde raptim ad exitium ruentis persequi atque instituta a recentibus possessoribus immutata perscrutari.

VII.

Quo tempore Delus insula rursus sub Atheniensium dominationem venerit, discrepant Titi Livii Polybiique testimonia, cum apud illum scriptum legamus[1]) insulam una cum aliis quibusdam esse Atheniensibus donatam a populo Romano statim post bellum contra Philippum regem gestum, alter vero testetur[2]) post Persen devictum hoc esse factum. Cum de textus Liviani corruptela, quam iam Boeckhius statuit,[3]) Koehlerus vero explicavit,[4]) nunc

[122]) Rationes, quae huic tempori adscribendae viderentur, nullas fere exstare scripsit Homollius litteris ad me datis, inventaria autem plurima; sed horum ne unum quidem publici est iuris adhuc factum.

[1]) Tit. Liv. XXX, 30. [2]) Polyb. XXX, 18 et 18a ed. Dind.

[3]) Boeckh »Erklärung einer Urkunde« etc.: Kl. Schriften V, p. 430 ff.

[4]) Koehler »Besitzstand Athens im 2. Jahrh. v. Chr.«: Mittheil. d. deutsch. arch. Instit. zu Athen, I, p. 257—268.

a nullo dubitetur post inventos titulos haud paucos, quibus demonstratur per multos post Philippi cladem annos insulam a suis magistratibus administratam (commemoro tantum rationes Demare a. 180, deinde Amphicle a. 170 archontibus scriptas), inutile ac paene ridiculum est de hac re notissima disserendo tempus terere atque satis habeo, Polybius quae tradidit memoriae, breviter exponere.

Atque uno loco ille dicit Athenienses legatione post Persen captum Romam missa (a. 167 a. Chr. n.) impetrasse, ut sibi una cum Haliartiorum agro Lemnus quoque et Delus insulae darentur, adiciens eos e proverbio »lupum auribus cepisse«, cum magnas sibi comparassent cum Deliis difficultates; altero fragmento legitur uberius expositum Delios a Romanis iussos insula cedere omnibus rebus suis deportatis consedisse in Achaia atque inde, in civium numerum cum essent recepti, ab Atheniensibus petivisse, ut, illis quae essent cum Achaeis pacta (*σύμβολα*), ad se quoque pertinerent; Athenienses autem cum ne hoc quidem iis concessissent, legatos de hac re esse ab utrisque Romam missos Achaeisque Deliorum causam pro sua agentibus senatum decrevisse, quae ab Achaeis secundum leges de Deliis statuerentur, ut essent rata. Ita Deliorum populus cum Achaeis in unum confusus interiit. Sed non omnes Delios insula patria esse expulsos vel brevi post aliquot eorum rediisse constat non solum e lapide sepulcrali, quem iam Lebegius attulit,[5]) ubi Deliorum duorum nomina exstant, sed etiam e titulo argumenti incerti a Reinachio nuper edito:[6]) catalogus est quidam, ab omni parte mutilus, ubi inter multa Romanorum atque Atheniensium nomina duabus columnis perscripta[7]) mentio fit duorum item Deliorum.

Solane erga Athenienses benevolentia senatus romanus permotus precibus eorum obsecutus sit, an aliae quoque causae — fortasse nimis perspicua Deliorum in Persen regem amicitia — accesserint, cur Delum Atheniensibus tradere placeret, diiudicari

---

[5]) C. I. G. 2322b[17] Add. [6]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 186.

[7]) Quid sibi velint litterae *T* et *Φ* singulis nominibus una vel altera addita, divinare non possum. Ut littera *T* talentum significet, quid — *Φ*? An cogitandum est ambas esse pro numeralibus adhibitas, ut *T* trecentas (scil. drachmas) significaret, *Φ* — quingentas? Diiudicent alii.

certa ratione non quit; verisimillimum tamen est utrumque spectasse patres, ut et Delii punirentur ob alienum a populo Romano animum, et eorum adversariis gratia referretur pro meritis. Praeterea occasione hac uti visum est ad portus deliaci vectigalium omnium immunitatem pronuntiandam, qua re et negotiatorum suorum commodis consulerent et Rhodiorum, quorum fides iis suspecta erat, imminuerent commercium: et iam paucis annis post Rhodiorum legatos in senatu questos constat civitatis suae reditus e portorio perceptos a 1000000 ad 15000 drachmas esse redactos, ex quo tempore immunitas Delo esset donata.[8]) Quod cum factum sit ante Antiochi Epiphanis mortem (a. 164 a. Chr. n.), inde colligere possumus, quantum et quam subitum commercium Deli insulae ceperit incrementum. Quamquam haec modo initia erant crescentis in dies prosperitatis, quam maxime auctam esse post Corinthum a Romanis excisam cum per se ipsum est verisimile, tum testatur Strabo.[9]) Idem addit iam antea cum multos alios, tum inprimis mercatores romanos insulam frequentasse, postea autem omnes Corintho Delum transiisse, invitati emporii immunitate atque commoditate, cum »peropportune esset situm omnibus ex Italia et Graecia in Asiam navigantibus«, neque Athenienses insula potitos neglexisse negotiatorum commoda, sed summam habuisse curam omnium, quae ad commercium levandum et augendum usui esse possent.

Sed non tam vernaculis mercibus florebat Delus, quamquam et aes[10]) vasaque deliaca[11]) et unguentum ibi paratum[12]) et quaedam cuppediae (gallinae inprimis earumque ova)[13]) clarissima essent, quam advecticiis, quas crescens in dies Romanorum luxuria requirebat, e variis orientis terris, prout hac vel alia re excellebant; omnium vero celeberrima erat servorum mercatura, quae quanta fuerit, inde intellegitur, quod Strabo auctor est aliquot interdum servorum myriades uno die advectas, eodem etiam veniisse atque deportatas esse, ut proverbium etiam exstiterit: »Mercator, appelle, expone — omnia venierunt.«[14]) Haec fere sunt, quae a scriptoribus

---

[8]) Polyb. XXXI, 7, 12. [9]) Strab. X, 5, 4. [10]) Plin. Hist. Nat. XXXIII, 144; XXXIV, 9, 10. [11]) Cic. acc. in Verr. II, 34, 72, 176; IV, 1; p. Rosc. Amer. 46. [12]) Plin. Hist. Nat. XIII, 4. [13]) Plin. Hist. Nat. X, 139. [14]) Strab. XIV, 5, 2: ἔμπορε, κατάπλευσον, ἐξελοῦ, πάντα πέπραται.

de mercatu deliaco tradita habeamus.[15]) Multum vero cognitio eius adiuvatur titulis, e quibus nihil quidem discimus de mercibus quotidie in portum advectis in foroque propositis neque de negotiis gestis pecuniisque et pensis et acceptis, sed tanto magis mercatorum perspicimus frequentiam ex omnibus orbis terrarum regionibus Delum confluentium — *τῶν παρεπιδημούντων ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων* aut *τῶν ἐν Δήλῳ ἐργαζομένων*, ut in ipsis his titulis appellantur. Collegit quondam Gilbertius, quorum in lapidibus perscripta exstarent, equitum romanorum et libertorum nomina, atque confecit — sex.[16]) At quot sunt appellati in sola Homollii dissertatione, quam »Les Romains à Délos« inscripsit;[17]) qua simul Romanorum in insula habitantium vices titulis, si non per singulos annos, at per decennia digestis est prosecutus fundamentaque iecit chronologiae huius aetatis firmissima: quae dissertatio eiusmodi est, ut in brevius redigi atque hoc loco communicari non possit, nisi velis eam omni doctrina spoliatam in catalogi speciem convertere. Itaque satis habebo ex secundo a. Chr. n. saeculo initioque primi eorum, qui summo loco nati et plerumque magistratu maiore aliquo functi vel statuis sunt a Deli incolis honorati, vel ipsi donis suis insulam templumque ornaverunt, nomina afferre: M'. Aemilius M'. f. Lepidus pro quaestore,[18]) C. Billienus, legatus ac deinde praetor pro consule,[19]) cuius Cicero quoque mentionem fecit,[20]) C. Cluvius L. f. praetor pro consule,[21]) L. Cornelius Serv. f. Lentulus quaestor[22]) et Serv. Cornelius Serv. f. Lentulus praetor pro consule,[23]) T. Manlius T. f. Torquatus,[24]) Cn. Papirius praetor,[25]) A. Terentius A. f. Varro;[26]) praeterea commemorantur M. Antonius M. f. praet. cos. cens.,[27]) orator scilicet nobilissimus, qui anno 667 a. u. c. mortuus est, Q. Pompeius Q. f. Rufus cos,[28]) qui collega fuit in consulatu L. Cornelii L. f. Sullae, hic ipse proconsulis nomine appellatus

---

[15]) Uberius de his rebus exposuit Gilbertius in dissertationis paginis aliquot (p. 54 sqq.), quae 'de mercatu deliaco' inscribuntur. [16]) Gilbert, Del. p. 58. [17]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 75—158. [18]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 151. [19]) C. I. G. 2285 b et Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 270. [20]) Cic. Brut. 47. [21]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 119. [22]) Ibid. IV, p. 219. [23]) Ibid. XI, p. 379. [24]) Ibid. III, p. 156. [25]) Ibid. VIII, p. 105. [26]) Ibid. I, p. 284. [27]) Ibid. VIII, p. 133. [28]) Ibid. VIII, p. 181.

bis,[29]) L. Licinius Lucullus, cum eius esset proquaestor,[30]) et huius ipsius in bello Mithridatico legati Fabius C. f. Hadrianus[31]) et C. Valerius C. f. Triarius.[32]) Quibus adiungendus est L. Caecilius Q. f. Metellus cos.[33]) (a. u. c. 612, ut videtur), quamquam Dittenberger[34]) titulum ad Paron insulam rettulit, ubi inventus est; sed Protimi epimeletae atheniensis, qui in hoc titulo commemoratur, nomen nunc in alio etiam exstat,[35]) qui sine dubio ad Delum, ubi est dicatus, pertinet.

Proximum post Romanos locum in frequentia Athenienses certe obtinent; ex omnibus titulis, qui adhuc publici iuris sunt facti, collegi sexaginta unius pagorum Atticae nomina, quorum *δημόται* per brevius aut longius temporis spatium Deli sunt commorati. Quamquam non omnes illi pagi pariter frequentes occurrunt: sunt, qui semel modo vel bis nominentur, alii vero saepissime appellantur, Marathon prae ceteris, deinde Melite, Cephisia, Acharnae, Paeania, Phlya, Sphettos, Anaphlystos, Sunion, Cydathenae.[36]) Atque ut Homollius inter Romanos invenit familiam, quae per genera aliquot Deli incoluit — Sehiorum (commemoratur primus C. Sehius C. l. in titulo brevi post insulam redactam in Atheniensium ditionem scripto,[37]) deinde nepos eius Gnaeus Cn. f., qui uxorem duxerat Cleostratam, Philostrati filiam, Syram ex Arado, postremo horum filius[38]) C. Sehius Cn. f. Aristomachus), ita inter Athenienses duas familias, in quas idem cadit, Fouguères investigavit,[39]) quarum stemmata a me aucta hic perscribo, addito tertio,

---

29) Titulus unus nondum est publici iuris factus: cfr. Homolle »Rapport« etc. p. 24, no. 26; alter: Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 172.

30) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 147. 31) Ibid. XI, p. 268.

32) Ibid. XI, p. 265. 33) Ibid. III, p. 158. 34) Dittenberger Syll. Inscript. Graec. 238, not. 4. 35) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 150.

36) Eorum pagorum tantum mentionem feci, ex quibus *δημοτῶν* quaternorum vel amplius nomina sunt tradita. 37) Bull. d. Corr. Hell. I, p. 284; cfr. etiam VIII, p. 95 et Ephem. Epigr. IV, p. 43.

38) Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 272 et Ἀθήν. IV, p. 463 (no. 17).

39) Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 258 et 264. Hephaestionem Artemidori f. fratremque eius Artemidorum, item Nicionem alterum Nicionis f. Fouguères dicit esse functos lampadarchorum et gymnasiarchorum muneribus ludis Hermaeis, cum paedotriba esset Staseas Philoclis f. Colonensis, quem scimus Sarapidis sacerdotem fuisse aliquot ante Nausiam

quod e duobus titulis, uno iam Cyriaco cognito, altero nuper reperto ipse composui.[40])

I.

Hephaestion Melitensis — Nicolaus

Artemidorus ᴗ Olympias

Hephaestion, Artemidorus.

II.

Dioscurides Marathonius — Xenocles

Nicion ᴗ Timesarete

Aristogenes, Menodorus, Nicion

(Aristogenes:) Nicion, Theodora.

III.

Athenagoras

Leonides, Athenagoras, Zenon, Demetria

(Athenagoras:) Athenagoras, Leonides, Menias.

Praeter Athenienses in titulis deliacis multi sane homines Graeci commemorantur, sed non ex ipsa Graecia oriundi: rectius fortasse dixerim multa occurrere nomina graeca, quibus tamen hac aetate non item origo graeca indicatur. Nulli, ut iam dixi, appellantur cives urbium Graecarum in continenti sitarum neque Macedoniae, pauci tantummodo ex Aegaei maris insulis aut e civitatibus graecis Asiae: Parii, Naxii, Melii, Cretenses, Corcyraei, Milesii, Teii, Chii, Coi, Cnidii; Rhodiorum vero ne unus quidem commemoratur.[41]) Quod clarissimum mihi videtur signum miserae totius

---

archontem annis. — Nicionem tertium et Theodoram Aristogenis liberos ipse adieci usus C. I. G. 2307.

40) Ἀθήν. IV, p. 458 et Bull. d. Corr. Hell. I, p. 88 (e Cyriaci titulis).

41) Paros: Ἀθήν. II, p. 134 no. 4. — Naxos: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 185 et 221. — Melos: ibid. XI, p. 268. — Polyrrhenia (Creta): ibid. VI, p. 339. — Corcyra: ibid. VI, p. 340. — Miletus: ibid. VI, p. 336. — Teos: ibid. XI, p. 260. — Chios: Ἀθήν. IV, p. 460. Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 369. — Cos: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 331. — Cni-

Graeciae condicionis non solum ad summam inopiam et hominum et opum redactae, sed etiam animorum quasi quodam torpore languentis. Tres sunt urbes, quarum cives saepissime commemorantur in titulis nostris: Alexandria, Antiochia ad Orontem, Heraclea in Ponto; secundum post eas locum obtinent Phoenicae Syriaeque civitates — Tyrus, Sidon, Berytus, Aradus, Ascalon, Laodicea, Hierapolis - Bambyce; denique commemoranda sunt oppida Bithyniae ac Ponti — Nicomedia, Nicaea, Nymphaea, Amisus — et Cariae — Athymbra et Mallus, quibus adiungi potest Carpasia oppidum, quod e cypriis solum occurrit, et Alabanda Cariae, Soli Ciliciae urbs.[42])

Mirum videri potest, quod ex Italiae urbibus modo Neapolis Tarentumque appellantur;[43]) sed hoc inde est repetendum, quia oppidorum nomina, unde oriundi erant, Italici non perscribebant, neque infringitur haec consuetudo duarum illarum civitatum mentione — hae enim graecae sunt. Quam ob rem nullo modo Itali-

---

dus: C. I. G. 2284. — E Samo Ephesoque oriundi appellantur singuli artifices — Philotechnus Samius: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 217 et Agasias Menophili f. Ephesius: ibid. VIII, p. 108 et 181; XI, p. 260 et 269; C. I. G. 2285 b.

[42]) Alexandria: Bull. d. Corr. Hell. V, p. 462; VI, p. 332 et 345 (bis); VIII, p. 107, 108; XI, p. 249 et 252. — Antiochia: ibid. VI, p. 318, 335, 339, 344, 490. — Heraclea: ibid. VII, p. 280; VIII, p. 143, 146, 486; XI, p. 260, 261 et 270. — Tyrus: C. I. G. 2290; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 320 et 346. — Sidon: ibid. VI, 324 et 340. — Berytus: ibid. VII, p. 467, 469, saepius. — Aradus: Ἀθῆν. IV, p. 463. — Ascalon: Bull. d. Corr. Hell. I, p. 86 (idem negotiator — Philostratus Philostrati f. saepius appellatur: cfr. ibid. VIII, p. 128 et 486). — Laodicea: Lebègue, No. 1; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 335 et 497. — Hierapolis-Bambyce: ibid. VI, p. 495 sqq. — Nicomedia: ibid. VI, p. 324; VII, p. 369. — Nicaea: ibid. IV, p. 222. — Nymphaea: ibid. VI, p. 328. — Amisus: ibid. XI, p. 259. — Athymbra: ibid. XI, p. 274. — Mallus: ibid. VI, p. 321; VII, p. 12. — Carpasia: ibid. VI, p. 492. — Alabanda: C. I. G. 2304 et 2305. — Soli: C. I. G. 2284. Consulto omisi titulos sepulcrales, in quibus difficillimum est diiudicare, utrum ad hanc aetatem vel ad tempus liberae reipublicae deliacae sint referendi.

[43]) Neapolis: C. I. G. 2299; Bull. d. Corr. Hell. I, p. 87; VI, p. 492; VIII, p. 486. — Tarentum: ibid. I, p. 87.

cos a Romanis segregare licet horumque nomine sunt comprehendendi.

Omnes hi mercatores peregrini varia inter se collegia faciebant ad securitatem rerum suarum tutandam communesque utilitates persequendas, quorum de institutis pauca admodum vel potius nihil fere novimus praeter nomina plerumque a deo aliquo ducta, cuius tutelae se mandaverant et cui sacellum cultumque instituere atque sollemnia celebrare solebant.

Collegia haec in duo genera dividi possunt, quorum unum ex hominibus potissimum in Oriente natis videtur compositum fuisse, alterum a Romanis Italicisque aut Graecis ex Italiae urbibus oriundis frequentatum. Inter illos primo loco sunt appellandi *ἱερονaῦται* tyrii, memorabiles etiam ob dedicationem duabus linguis, vernacula graecaque, Apollini factam.[44]) Multo melius nobis est cognitum collegium *Ποσειδωνιαστῶν Βηρυτίων ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων καὶ ἐγδοχέων*,[45]) quorum etiam sacellum, ubi congregabantur, a Reinachio est repertum prope »peregrinorum deorum templum« una cum titulis aliquot, e quibus nonnulla etiam de eius institutis discimus: habebant et archithiasitas in certum tempus, annuum ut apparet, creatos, sed interdum bis hoc munere functos (fortasse etiam saepius), quorum quattuor nomina novimus,[46]) et sacerdotem non quotannis electum, sed in longius temporis spatium, fortasse *διὰ βίου* constitutum — ille quidem, quem solum novimus, Apollodorus Apollophanis f., postea honoris causa *υἱὸς τοῦ κοινοῦ* appellatus,[47]) per duos certe, si non amplius, annos est hoc munere functus. Scimus praeter Neptunum collegii praesidem etiam Romam deam esse cultam a thiasitis neque sumptibus eos pepercisse e sat multis titulis dedicatoriis variisque, quae in iis appellantur,

---

44) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 69—71; cfr. C. I. G. 2271. 45) Ibid. VII, p. 467—476. 46) Mnaseas Dionysii f. Euergetes, bis functus archithiasitae munere (Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 467—469), multis aedificiis ornaverat *τέμενος* collegii (ibid. p. 473—474); praeterea appellantur Democles Demophontis f. Euergetes (bis), Dionysius Sosipatri f., incertus Hieronis f. Euergetes. 47) Haec coniectura mea est: in titulo (Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 472) sacerdotis nomen mutilum in »δωρος« litteras exit, quod supplevi ex aliis, ubi nondum *τοῦ κοινοῦ*, verum Apollophanis f. appellatur (ibid. VII, p. 469—471).

aedificiis colligere possumus. Sed non minus certa ratione asseverare licet collegium post temporis spatium non ita longum esse dilapsum, cum et sacerdos unus tantum occurrat et tituli omnes, qui servati sunt, sine dubio ad quattuor archithiasitarum annos prope continuos sint referendi. Nihil praeter nomen ad nos pervenit collegii *τῶν εἰς Βιθυνίαν καταπλεόντων ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων* in basi servatum statuae, quam civi cuidam Nicaeensi bene de se merito (fortasse collegii participi) statuendam Deli curaverunt.[48] Alia etiam fuisse collegia credibile est nobisque ob eam tantum causam ignota videntur esse, quod eorum conciliabula nondum sunt inventa.

Alterius generis collegia tria novimus, quae nomina habent a Mercurio, Neptuno, Apolline ducta. Quorum longe antiquissimum atque honoratissimum videtur *Ἑρμαιστῶν* aut Mercurialium fuisse collegium,[49] quos Deli statim post insulam Atheniensium dicioni subditam invenimus (siquidem recte Homollius A. Terentium Varronem ab iis statua honoratum[50]) unum ex legatis illis decem post Persen devictum a senatu in Graeciam ad res constituendas missis esse opinatur), atque permansisse scimus certe usque[51]) ad L. Licinium Lucullum, M. Aurelium Cottam coss (a. u. c. 680 = 75 a. Chr. n.). *Ἀπολλωνιαστῶν* autem et *Ποσειδωνιαστῶν* collegia ex illo solum tempore innotuerunt, quo cum Hermaistis coniuncta sunt,[52] non ob aliam causam, credo, nisi quod horum conciliabulum in schola Romanorum quae dicitur erutum est, illorum autem propria adhuc latent. Coaluerunt tria haec collegia in unum iam ante Cn. Cornelium Lentulum, P. Licinium Crassum coss. (a. u. c. 656 = 98 a. Chr. n.)[53] tali modo, ut cum conciliabulum unum haberent, tum magistros communes duodecim vel quaternos e singulis collegiis electos in annum[54] — duo enim magistrorum catalogi paucis annis distantes ne unum quidem nomen

---

48) Meleagro Zmertomari f.: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 222.

49) Bull. d. Corr. Hell. I, p. 284; IV, p. 190; VIII, p. 96, 108, 144—145; ibid. I, p. 87 (a Cyriaco exscriptus). 50) Ibid. I, p. 284. 51) Ibid. VIII, p. 145. 52) Ibid. IV, p. 190; VIII, p. 145; I, p. 87.

53) Ibid. IV, p. 190. 54) Ibid. VIII, p. 145; undecim sunt in titulo: Bull. d. Corr. Hell. I, 87, sed fortasse neglegentia factum est, ut unius nomen intercideret, cum titulus hic tantum e Cyriaco notus sit.

commune habent —, cum antea soli Ἑρμαισταὶ senos quotannis eligerent;[55]) neque videntur postea denuo seiuncta esse haec collegia, quamdiu quidem permanserunt — in omnibus certe dedicationibus aut singula nominatim appellantur aut nominibus eorum non perscriptis commemorantur magistri duodecim.[56])

Segregandae esse a collegiis mihi videntur et σύνοδος μελανηφόρων deos aegyptios colentium[57]) et alia θεραπευτῶν deae Syriae.[58]) Erant enim sodalitates hominum religione communi obstrictorum et ob eam causam, quamquam nihil traditum est a scriptoribus antiquis de his rebus prorsus tacentibus, longe diversae videntur a collegiis artificum et mercatorum fuisse, quippe quae inprimis ad commercii utilitates persequendas essent instituta atque more antiquitus observato sibi deum quendam praesidem eligerent. Illae sine religione vel superstitione ne cogitari quidem possunt, haec ex officio tantum, ut ita dicam, patronum suum colebant; ad illas se applicabant propria voluntate ducti, ad haec cogebantur accedere, si societatis commodis, interdum etiam iure praecipuo uti volebant: Citiensium mercatorum collegium, quod Lycurgo oratore clarissimo suadente a populo Atheniensium petebat, ut Veneri patronae suae templum aedificare liceret,[59]) exstabat certe, antequam templum erigeretur — σύνοδος θεραπευτῶν deae Syriae, quam Deli invenimus, sine sacello et cultu nihil esset; homines certe, qui in Isidis et Sarapidis μελανηφόρων numerum recipi cupiebant, non ob aliam causam hoc expetebant, nisi quod animi beatitudinem adepturos se esse sperabant. An hac cogitatione putas ductos philosophos illos, qui in Museo alexandrino Musarum thiasum constituebant easque sacrificiis etiam colebant? Ne illum quidem credo, qui Musarum sacerdos erat electus. Sit venia verbo: sodalitates ob religionem constitutae comparari possunt mutatis mutandis cum Christianorum monasteriis (neque fortuito factum esse credo, quod in Aegypto, ubi maxime floruerant Isidis et Sarapidis

---

[55]) Bull. d. Corr. Hell. I. p. 284; VIII, p. 96. [56]) Interdum singuli magistri occurrunt, sed tunc suo nomine ἀναθήματα dicant: Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 145 et XI, p. 269; XI, p. 268; XI, p. 270. [57]) C. I. G. 2293, 2294, 2295; Ἀθήν. II, p. 134, 1; Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 318, 323; VIII, p. 103. [58]) Ἀθήν. IV, p. 461 et 462; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 489, 492, 493, 501. [59]) C. I. A. II, 168.

θίασοι, etiam coenobia antiquissima commemorantur), collegia vero artificum et mercatorum simillima sunt eis, quae Medio aevo et recentiore etiam tempore scimus fuisse in omnibus Europae oppidis, eadem ratione curae mandata Sancti cuiusdam — quin etiam verisimillimum est posteriora haec cum illis antiquioribus arcta necessitudine esse coniuncta ab iisque originem duxisse. Hanc quam feci distinctionem inter sodalitates et collegia iam civitatum leges fecisse videntur, cum *κοινὰ* haec omni ratione et defenderent contra exteros et tutarentur domi (Athenis Solon iam iis favisse dicitur), illas vero vel persequerentur vel nisi maxima cum suspicione non admitterent. Nam quod deis peregrinis cultum novum instituere non licebat nisi populo auctore (quod Athenis idem Solon praeceperat), hoc in sodalitates potissimum cadebat: neque privatim quisquam prohibebatur deos, quos vellet, colere neque sodalitates plerumque deos patrios venerabantur, sed favebant magis religionibus et mysteriis orientalibus, multo vehementius animos hominum ad *ἐνθουσιασμὸν* commoventibus. Longe aliter collegia, quae semper deum aliquem patrium sibi eligebant patronum. Hac in re discedo a Fucartii viri doctissimi sententia, qui nullo inter ambo *θιασῶν* genera discrimine facto contendit universos et a peregrinis esse institutos et deis peregrinis aut potius orientalibus consecratos.[60]) Quod ne in sodalitates quidem omnino quadrat — erant certe dicatae aut *Μητρὶ θεῶν* aut deae Syriae aut Sarapidi etc., conditae item plerumque ab Asiatis, Syris, Aegyptiis, qui initio etiam sacerdotum munere fungebantur; sed frequentabantur maxime ab hominibus graecis variis e civitatibus oriundis, quos peregrinos, etiamsi Athenis vel alia in civitate ut metoeci habitarent, appellare non possum: sic Deli quoque in Sarapidis templo tres invenimus somniorum interpretes (*ὀνειροκρίτας*), Delium unum, alterum Cretensem, tertium Nicomedensem,[61]) *μελανηφόρων* duos tantum novimus — Chium et Antiochensem,[62]) Aegyptium autem hominem nullum; item e titulis discimus Atargatidis deae Syriae cultum a Syris quibusdam Hierapoli-Bambyce

60) Foucart, Les associations religieuses chez les Grecs. 1873.

61) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 325, 339, 324. 62) Ctesippus Ctesippi f. Chius: C. I. G. 2294 et *Ἀθήν*. IV, p. 460; Theophilus Theophili f. Antiochensis: C. I. G. 2297 = Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 318.

oriundis esse Deli institutum,[63]) post paucos vero annos venisse in Atheniensium sacerdotum manus templi eius administrationem.[64]) Contra collegia artificum aut mercatorum et condita et composita erant saepissime, si non semper, ex eiusdem civitatis vel gentis hominibus (inter tot Mercuriales nobis cognitos unus tantum exstat Heracleota,[65]) ceteri aut Itali sunt aut Graeci ex Italia oriundi, e Neapoli aut Tarento), rarius e civibus quam e metoecis, quippe qui in aliena civitate maxime iniuriis damnisque obiecti saepius praesidio indigerent, et patronum sibi eligebant, ut iam dixi asseveroque magnopere, deum in ea quidem civitate, quam metoeci incolebant, peregrinum, sibi autem familiarissimum ac patrium, quoniam religionem quaerebant, non superstitionem, atque antiquo more ducebantur, non novum quendam sectabantur ἐνθουσιασμόν: et Graeci quidem graecum colebant deum, ut Musei alexandrini sodales — Musas Heliconias, Heliastae Rhodii — certe non phoenicium quendam solis deum, sed Helium illum, quem iam Pindarus appellat insulae μεδέοντα; mercatores quidem Tyrii venerabantur Astarten et Melkarth suos deos, sed ita, ut eos civitatis, in qua habitabant, deis adsimilarent, videlicet ut benevolentiam civium sibi ut mercatoribus quam maxime necessariam captarent summoverentque omnem suspicionem; Italorum collegia Delum frequentantium patronos sibi eligebant Ἑρμῆν = Mercurium, Ποσειδῶνα = Neptunum, Apollinem graeco-italicos certe, non syros quosdam vel aegyptios.

Longius aberrasse a proposito videor, sed non inutilis est haec de sodalitatibus collegiisque disputatio ad ipsius insulae instituta cognoscenda atque excusatur magna illa auctoritate et reverentia, quam hic quoque ut aliis locis hac aetate sunt adepti dei peregrini et advecticii. Iam libera republica deliaca vidimus irrepsisse deorum aegyptiorum cultum, Athenienses vero insulae domini facti, quippe qui non tam arcta diuturnaque familiaritate essent iuncti, ut ita dicam, cum Apolline Delio, causam nullam habebant, cur

---

63) Tres appellantur minimum sacerdotes Hierapoli oriundi: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 495—497. 64) Tot sunt servata huius rei documenta, ut singula afferre inutile sit. 65) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 145: catalogus Ἑρμαιστῶν, Ἀπολλωνιαστῶν, Ποσειδωνιαστῶν magistrorum, qui munere sunt functi L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta coss.

insula prohiberent deos alienigenas. Idcirco non multo post Delum sub eorum potestatem redactam aedificatum est templum Atargatidis Hierapolitanae cum Adado deo coniunctae vel *Ἁγνῆς θεᾶς Ἀφροδίτης Συρίας*, quas inter se non diversas puto, dissentiens ab Hauvettio primum Aphroditae Syriae, deinde Atargatidis cultum Delum importatum opinanti, postquam iam illius cultus caerimoniis phoeniciis esset purgatus.[66]) Ad quam opinionem inductus esse videtur falsa chronologia archontum atheniensium: quod enim anno Dionysii *τοῦ μετὰ Λυκίσκον* commemoratur sacerdos quidam Atargatidis ex Hierapoli oriundus[67]) atque constat primis tantum annis cultum deae ab hominibus Syris procuratum esse, necesse ei erat religionis novae institutionem ad primi a Chr. n. saeculi exitum referre, cui tempori tum Dionysius archon vulgo adscribebatur, priusquam Reinachius primus,[68]) deinde Homollius[69]) demonstraverunt secundo saeculo eum fuisse. Quod cum ita sit, nulla iam causa perspicitur, cur seiungantur dearum simillimarum cultus, quoniam verisimillimum est eandem deam esse modo Atargatidis, modo Veneris Syriae nomine appellatam. Quoque modo res se habet, certe templum Syriae deae atheniensis dominationis demum tempore est exstructum. Idem non audeam tam confidenter asseverare in Dioscurorum et Cabirorum vel *Διοσκούρων Καβείρων* (utraque enim ratione appellatur) templo,[70]) cum et in Demaris archontis rationibus iam occurrant festa quaedam »Dioscuria« appellata[71]) notumque sit, quantopere a Ptolemaeo potissimum Philadelpho, insulae fautore, Arsinoeque uxore eius altera sint culti dei hi Samothracii, ut satis probabile sit iam tum Dioscuris Cabiris et templum exstructum et festa esse instituta: antiqui enim Dioscuri illi, Castorem dico et Pollucem, non in multis civitatibus adeo colebantur, ut festa etiam eis celebrarentur. Quod autem Reinachius statuit ex ipso templi nomine apparere primo esse Dioscuros solos cultos, deinde ad eos accessisse Ca-

---

[66]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 470 sqq. [67]) Achaeus Apollinii f.: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 495. [68]) Rev. archéolog. 1883. [69]) »Note sur la chronologie des archontes athéniens de la deuxième moitié du II. siècle av. J. Chr.«: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 6—38. [70]) Reinach »L'Inopus et le sanctuaire des Cabires«: Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 329—373. [71]) Demar. arch. rat. lin. 187.

biros, postea denique (ex *καὶ* particula omissa hoc colligens) utrosque in unum duorum deorum coetum coaluisse, id vix defendi potest; nam certe titulos qui posuerunt, suum quisque arbitrium propriamque deorum notionem secuti sunt. Quid quod saepenumero videmus vel eorum, qui ne colebantur quidem in eodem templo, nomina coniungi esse solita, ut Atargatidi syriae interdum Asclepius graecus adiungebatur.[72])

Nihilominus magnum titulorum numerum, qui hoc tempore in peregrinorum deorum honorem erant scripti, si conferes cum raris illis ex antecedente aetate traditis, iam intelleges, quanta fuerit Deli frequentia peregrinorum quoque hominum, qui ex omnibus orbis terrarum partibus convenerant, ut mercatus delii commodorum participes fierent. Quanta eorum etiam in rebus publicis gerendis fuerit auctoritas, inprimis Italorum, inde apparet, quod omnes statuae honoris causa magistratibus positae vel aliis hominibus bene de insula meritis dicatae sunt »ab Atheniensibus Romanisque et Graecis aliis, qui insulam incolebant, atque mercatoribus nautisque, qui in ea commorabantur«,[73]) ut formula plenissima, paullulum interdum commutata, legitur: saepius evenit, ut Graecorum loco *ξένοι* commemorentur,[74]) interdum etiam Atheniensium (insulae possessorum!) nomen omittitur, ut statuam posuisse dicantur »Italicei et Graecei quei negotiantur«.[75]) Hanc formulam Homollius quondam antiquiorem existimabat quam illam supra allatam, sed ipse novis titulis inventis opinionem suam abiecit ambasque nunc

---

[72]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 498. Cfr. etiam dedicationes factas *Ἴσιδι Σωτείρᾳ, Ἀστάρτει Ἀφροδίτῃ, Ἔρωτι Ἁρφοκράτει, Ἀπόλλωνι*: Ἀθήν. IV, p. 458 vel *Ἴσιδι, Ἀνούβιδι, Ἁρποχράτει, Διοσκούροις*: C. I. G. 2302 et varia nomina Isidi tributa a donatore unoquoque. [73]) *Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων οἱ κατοικοῦντες ἐν Δήλῳ καὶ οἱ παρεπιδημοῦντες* (aut *οἱ καταπλέοντες εἰς τὴν νῆσον*) *ἔμποροι καὶ ναύκληροι*: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 151 et 156; V, p. 463; C. I. G. 2287. Cfr. etiam Bull. d. Corr. Hell. III, p. 373 et VIII, p. 175. [74]) Cfr. Bull. d. Corr. Hell. III, p. 370; C. I. G. 2286 et 2288. [75]) Bull. d. Corr. Hell. I, p. 284; IV, p. 219. Itali soli (sine Graecis) appellantur: C. I. G. 2285 b; Bull. d. Corr. Hell. V, p. 390; VIII, p. 119. »Populus Atheniensis et Italicei et Graecei quei in insula negotiantur« in dedicatione nominantur statuae L. Licinio Lucullo positae: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 146.

censet eodem tempore esse usurpatas:[76]) mihi hoc inter eas discrimen intercedere videtur, quod interdum collegia et Italicorum et alia suo nomine statuas posuerunt, id quod etiam privatis in terra sua facere licebat, saepius vero cleruchi athenienses, quibus insula incolenda erat tradita, ipsi quoque viro bene merito statuae honorem publice decreverunt una cum collegiis, quae modo appellavimus.

Maximi sit momenti cognoscere, qua ratione peregrini et inquilini una cum civibus cleruchis consilia capere potuerint; sed hanc quaestionem nullo modo ad certum perducere licet. Verisimillimum tamen videtur praeter civium *ἐκκλησίαν*, in qua metoecis non liceret sententiam ferre, fuisse peregrinorum conventum, ubi et de suis propriis commodis consultarent et de certis quibusdam rebus publicis ad ipsos attinentibus, quod sentiebant, dicere possent: de honoribus quidem decernendis constat; num de aliis etiam rebus, plane ignoratur. Utcumque res se habet, hoc certum est longe aliam fuisse Italicorum Deli condicionem quam metoecorum aliis locis, neque mirum est, si reputamus equites hos romanos atque etiam eorum libertos sustentatos esse magni nominis Romani auctoritate imperiique totius potentia. Ac vix errare mihi videor, si dico mercatores italicos plus Deli valuisse veriusque insulae dominos appellari potuisse quam cleruchos Atheniensium vel ipsam Athenarum civitatem, quod alias etiam nationes sensisse testantur et arae Romae deae exstructae (ut a Posidoniastis Berytiis)[77]) et dedicationes saepius »Italicis«[78]) factae. Atque illustratur hoc etiam bello Mithridatico: cum enim Athenae ipsae regis Pontici partes essent secutae, Delus insula in fide populi Romani permansit. Sed antequam harum rerum narrationem persequar, optimum mihi videtur breviter exponere, instituta insulae propria quae fuerint tempore florentis cleruchiae ante eius devastationem (ab a. 165—88 a. Chr. n.), praesertim cum non satis cognitum sit, num etiam postea eadem permanserint.

---

[76]) Cfr. Bull. d. Corr. Hell. III, p. 371 et ibid. V, p. 464.

[77]) Bull d. Corr. Hell. VII, p. 467: *Ῥώμην θεὰν Εὐεργέτιν*; cfr. etiam ibid. p. 471. [78]) »Italiceis«: Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 145; *Ἰταλικοῖς*: ibid. XI, p. 268; *ἀφιερώσαντες Ἡρακλεῖ καὶ Ἰταλικοῖς*: ibid. IV, p. 190; *Ἀπόλλωνι καὶ Ἰταλικοῖς*: ibid. VIII, p. 128.

Qua lege sit constituta ab Atheniensibus cleruchia deliaca, quot cleruchi sint in insulam missi vel e quibus populi ordinibus electi — ignoratur; quin etiam si de cleruchia Delum missa loquimur, nostro periculo id facimus, cum nomen hoc non sit traditum. Ceterum de re dubitare non licet, cum Deliis ex insula expulsis non verisimile modo, sed etiam necessarium sit credere agros eorum domusque vacuas occupatas novos dominos in certum *κλήρων* numerum divisisse, quorum singuli singulis civibus atheniensibus tribuerentur, potissimum egentioribus. Qualis inter eos et patriam urbem intercesserit necessitudo, quamquam nihil est memoriae traditum, tamen credo cum quadam probabilitatis specie colligi posse. Et primum quidem certum est in omnibus rebus foris gerendis summam consilii fuisse penes populum Atheniensem, cuius decretis etiam cleruchi tenebantur, atque ut hi urgente necessitate patriam armis pecuniisque adiuvarent, lege fuisse sanctum, quamquam post Graeciam a populo Romano subactam et pacatam neque hoc officium neque illa potestas multum valebant, quippe quae paene numquam exerceri possent. Maioris momenti erat, quod debebant cleruchi quotannis ad festa urbis parentis celebranda, Panathenaea inprimis, theorias mittere cum victimis omnique apparatu sollemni:[79]) exstat adhuc decretum cleruchorum Delum incolentium, quo collaudatur architheorus quidam Eubulus Demetrii f. Marathoniensis ob promptum in civitatem animum atque magnificentiam, qua legationem ad Panathenaea missam instruxerit, quae causa fuerit, ut ab Atheniensibus corona aurea cleruchis deliacis publice decerneretur.[80]) Pietatis hoc erat coloniae erga parentem officium, sed idem, cum sumptum haud parvum postularet, gravissimum onus: de aliis enim vectigalibus, quae cleruchi deliaci pro fundis sibi concessis a republica, ut interdum fiebat,[81]) pependerint aerario publico, nihil compertum habemus.

---

[79]) Cfr. decretum populi Atheniensium de colonia Bream deducenda factum: C. I. A. I, 31, lin. 11—12, quo iubentur cleruchi singulas boves ovesque binas quotannis ad Panathenaea, phallum ad Dionysia mittere, et Schol. Aristoph. Nub. v. 386: *ἐν τοῖς Παναθηναίοις πᾶσαι αἱ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἀποικισθεῖσαι πόλεις βοῦν τυθησόμενον ἔπεμπον.*

[80]) C. I. G. 2270. [81]) Cfr. decreti ad cleruchiam lemniacam pertinentis (C. I. A. II, 14) admodum mutili versum octavum et commen-

In domesticis rebus administrandis cleruchorum civitas, quae appellabatur *ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων τῶν ἐν Δήλῳ κατοικούντων*, sui iuris erat. Habebant enim et senatum et populi contionem, quae in *ἐκκλησιαστήριον* certis diebus conveniebat (*ἐκκλησία κυρία*), interdum etiam extra ordinem convocabatur. In utroque autem omnes res ad normam reipublicae Atheniensis gerebantur, ut ex aliquot decretis servatis[82]) discimus: rogatio quaevis ab oratore primum senatui proponebatur, ut *προβούλευμα* fieret, deinde ferebatur a proedris e senatorum numero in singulos deinceps dies sorte creatis ad proximam populi contionem addito senatusconsulto (*δεδόχθαι τῇ βουλῇ τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων, γνώμην δὲ συμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ* etc.), postremo ab oratoribus re disputata populus in suffragia mittebatur a proedrorum principe (*τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν ὁ δεῖνα*). Fueritne senatus in prytanias divisus more attico, non constat neque verisimile videtur, cum esse potuerit, ut phyle haec vel illa nullum cleruchum aut admodum paucos in insulam missos haberet: in decretis certe nulla fit eorum mentio diesque contionis secundum fastos definitur. Neque scimus, aut proedri senatus aut universi senatores quot fuerint numero, et ne de scriba quidem publico quicquam cognitum habemus, cum nusquam commemoretur, quamquam eum fuisse certum est. Decreta autem populi nulla ad nos pervenisse praeter honorifica non mirum est, cum et haec numero cetera omnia superasse probabile neque ulla alia lapidi incidi solita esse quam maxime verisimile sit. Cleruchorum decretum quod exstat, quo tres legati creari iubentur, qui Athenas illud deferant atque a populi Atheniensium contione, ut confirmetur, petant,[83]) fuere qui crederent omnia cleruchorum decreta, ut rata essent, tali modo confirmari debuisse; sed Boeckhius iam in commentario huic titulo addito refutavit hunc errorem »maioris beneficii causa« hoc factum dicens, ut Eubulus Demetrii f. Marathoniensis — huic enim honores decernuntur —, cum civem se bonum praestitisset in theoria ad Pan-

---

tarium, quem Foucart adiecit decreto antiquissimo populi Atheniensium de cleruchia Salaminem mittenda: Bull. d. Corr. Hell. XII, p. 7.

[82]) C. I. G. 2270; Bull. d. Corr. Hell. X, p. 35 et 37.

[83]) C. I. G. 2270.

athenaea, ut iam dixi, Athenas ducenda, ab Atheniensibus quoque ipsis laude publica ornaretur, idque factum esse demonstrant verba titulo subiecta: ἐπεψηφίσθη καὶ Ἀθήνησι. Ceterum iam Boeckhii aetate cognitum erat aliud cleruchorum decretum,[84] ubi nulla fit approbationis talis mentio, atque nunc, cum numerus eorum novis repertis auctus est, confidentius etiam asseverare possumus minime illos in rebus suis administrandis hanc rationem sequi solitos esse.

Sed in alia quaestione cum ad haec decreta pertinente tum ad totam cleruchiae deliacae disciplinam illustrandam maximi momenti vir ille summa semper pietate colendus errorem admisit, cum crederet archontes, quorum nomina singulorum decretorum in capite poni solebant (ἐπὶ τοῦ δεῖνα ἄρχοντος omnium est exordium), esse non universae civitatis Atheniensis magistratus publicos, sed cleruchiae deliacae proprios[85] sententiamque suam probare conaretur ad titulum quendam Salaminium provocando, ubi archon reipublicae eponymus verbis ἐν ἄστει adiectis distingueretur ab archonte cleruchorum.[86] Quod falsum esse post Neubauerum[87] Dumont optime docuit,[88] recte dicens in titulo Salamine scripto, ubi archon proprius exstabat, necessario verba ἐν ἄστει adicienda, in deliacis vero decretis prorsus inutilia fuisse, quoniam insula non ab archonte, sed ab epimeleta administraretur; atque archontes, qui in decretis cleruchorum deliacorum occurrunt, esse revera atticos confirmavit variis locis dissertationum suarum de fastis atheniensibus, ubi eadem nomina et Deli et Athenis inveniri tam multis exemplis demonstravit, ut nulla iam de hac re dubitatio esse possit.[89] Nova denique documenta epigraphica, siquidem opus est, Homollius attulit in duabus de hac re dissertationibus.[90]

---

84) C. I. G. 108. 85) Boeckh. comment. ad C. I. G. 2270; eodem modo iam ante eum iudicavit Corsinius (Fast. Hellen. I, p. 370); secutus est eos Bursian, Geograph. Griechenl. II, p. 457. 86) C. I. G. 108 = C. I. A. II, 594. 87) In Commentationibus Epigraphicis, quae mihi non praesto fuerunt. 88) Nouveau mémoire, p. 19. 89) »La Chronologie athénienne à Délos«: Rev. archéolog. XXVI (1873). p. 257: »Essai sur la Chronologie des archontes athéniens postérieurs à la CXXII^{e} Olympiade« et »Nouveau mémoire sur la Chronologie etc.«

90) »Supplément à la Chronologie des archontes athéniens postérieurs à la CXXII^{e} Olympiade«: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 182—191. »Note

Mihi igitur satis erit hic adferre eorum archontum nomina, qui et in fastis atticis appellantur (in titulis aut a scriptoribus) et Deli occurrunt. Haec sunt ex ordine alphabeti graeci disposita: Anthesterius, Apollodorus, Aristarchus, Aristolas, Diocles, Dionysius ὁ μετὰ Λυκίσκον (semel in titulo deliaco appellatur etiam Dionysius archon nulla nota addita, ut sitne idem an alius — fortasse ὁ μετὰ Παράμονον — diiudicari non possit), Diotimus, Zenon, Theodorides, Theocles, Iason, Isigenes, Callistratus, Lyciscus, Menoetes, Paramonus, Pelops, Polyclitus, Posidonius, Procles, Sarapion, Phaedrias[91]) — sunt nomina 22. Contra qui in solis deliacis titulis nominantur archontes, quinque non amplius sunt: Archon, Aristaechmus, Zaleucus, Meton, Nausias.[92])

Cleruchiae deliacae praefuisse iam dixi epimeleten a populo Atheniensium sine dubio missum, ut Lemnum strategus vel hipparchus mittebatur, atque ἐπιμελητὴς νήσου aut Δήλου in titulis appellatur. Hoc nomine perductus Nenz sibi persuasit »cleruchiam deliacam, quoniam proprios archontes non haberet, sed a curatoribus admini-

---

sur la chronologie des archontes athéniens de la deuxième moitié du second siècle av. J. Chr.«: ibid. X, p. 6—38.

[91]) Anthesterius: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 125. — Apollodorus: ibid. III, p. 376. — Aristarchus: Ἀθήν. IV, p. 462 (n. 16). — Aristolas: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 184. — Diocles: ibid. IV, p. 188. — Dionysius ὁ μετὰ Λυκίσκον: C. I. G. 2296; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 495 (Dionysius: ibid. VI, p. 491). — Diotimus: Lebègue »Recherches« etc. p. 163 (n. 17); Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 370. — Zenon: C. I. G. 2287. — Theodorides: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 33. — Theocles: ibid. VI, p. 347 (?); certe legitur eius nomen in titulo nondum edito. — Iason: ibid. VI, p. 323. — Isigenes: Ἀθήν. II, p. 134 (n. 1). — Callistratus: Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 185. — Lyciscus: ibid. X, p. 34. — Menoetes: ibid. VI, p. 379. — Paramonus: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 338. — Pelops: ibid. X, p. 35. — Polyclitus: ibid. II, p. 397. — Posidonius: ibid. IV, p. 183. — Procles: Lebègue »Recherches« etc. p. 156 (n. 10); Bull. d. Corr. Hell. X, p. 36. — Sarapion: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 294. — Phaedrias: C. I. G. 2271. — Locos, quibus commemorantur ut archontes Athenarum apponam in appendice. [92]) Archon occurrit in duobus titulis nondum publici iuris factis, quos mecum communicavit Homollius per litteras: cfr. »Rapport« etc. p. 37, no. 67. — Aristaechmus: C.I.G. 2270. — Zaleucus: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 33. — Meton: ibid. VII, p. 340. — Nausias: C. I. G. 2295. — Duorum praeterea nominum syllabae singulae reliquae.

straretur, non ut alias cleruchias atticas fuisse suae potestatis«[93]) — credit videlicet vir doctus archontes et habuisse proprios ceteras omnes cleruchias et creasse suo arbitrio, non ab urbe patria missos accepisse! Quorum illud est omnino falsum, cum sola Salamis sit ab archonte administrata (de Scyro insula res admodum est dubia,[94]) Lemnum et Imbrum magistratus militaris mittebatur), hoc autem demonstrari non potest: archon enim Salaminis insulae fueritne ab Atheniensibus constitutus an a cleruchis electus, prorsus ignoramus nomenque archontis minime obstat, quominus illud verisimilius videatur — ἐπιμελητής certe appellari non poterat, quia, quo tempore instituta est cleruchia salaminia, nomen hoc numquam magistratui cuiquam scimus inditum, archontis vero erat usitatissimum, contra deliaca cum condita est, pullulabant quasi Athenis ἐπιμεληταὶ cuiusvis generis. Erat autem curatoris illius munus annuum, ut multis e titulis colligi potest, optime ex ἀπαρχῶν, quae dicitur, tabula,[95]) in qua perscripti sunt magistratus athenienses varii, qui in enneterida pythicam pecunias contulerunt, per singulos annos digesti. Electum eum esse suffragiis, non sorte creatum, si non certum, at maxime verisimile est, cum videamus nobilissimum quemque Atheniensium epimeletae munere esse functum, ut Medeum illum Medei f. Piraeensem[96]) e nobili Eumolpidarum gente oriundum et Lycurgi oratoris illius pronepotem, qui quater etiam archon fuerat Athenis. Atque confirmatur mea sententia ea re, quod hic magistratus ad unum quidem virum — Ammonium Ammonii f. Anaphlystium — bis est delatus,[97]) quod mirum esset, si sorte esset factum. Eponymum etiam anni fuisse curatorem cleruchiae docet Nenz,[98]) quoniam in titulis quibusdam dedicatoriis[99]) exstet scriptum »ἐπὶ ἐπιμελητοῦ τοῦ δεῖνα«; at in aliis[100]) legitur

---

93) Nenz. Quaest. del. p. 16. 94) Archontem enim, qui appellatur in decreto cleruchorum Scyrum insulam tenentium (Dittenberger. Syll. Inscr. Graec. 383), Atheniona Dionysii f., contra Dittenbergeri sententiam (l. l. not. 2) pro summo magistratu totius civitatis habebo, dum novis documentis repertis clarioribus refelletur opinio mea. 95) C. I. A. II, 985.

96) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 190 et VII, p. 12. 97) Tituli exstant duo, in quibus ἐπιμελητὴς τὸ δεύτερον dicitur: Ἀθήν. IV, p. 459 et Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 334. 98) Quaest. del. p. 15 et not. 5. 99) C. I. G. 2298, 2306 et passim. 100) Ἀθήν. IV, p. 461 et 462 exempli gratia.

»ἐπὶ δημοσίου τοῦ δεῖνα« — an Deli etiam servos publicos putat Nenz fuisse magistratus civitatis eponymos? nullus umquam Deli fuit eponymus praeter archontem atticum, cuius nomen decretis cleruchorum publicis praescribitur solum ad annum designandum, nusquam addito epimeletae nomine; quare concidit Lebegii coniectura propter omissam duobus in titulis[101]) curatoris mentionem suspicantis[102]) primis annis post cleruchiam conditam nondum institutum esse eius munus. De ipso officio hoc quidem dicere licet eum in omnibus rebus gerendis summam obtinuisse, sed de singulis non multa e titulis discimus: recte collegit Lebegius[103]) inde, quod in honoribus decernendis semper δικαιοσύνη eius laudatur,[104]) in iure dicundo potestatem eius summam fuisse positam, i. e. ἡγεμονία δικαστηρίου, quae dicebatur, penes eum erat, ut Athenis penes archontes, quod scire maxime interest, cum nihil praeterea de iudiciis compertum habeamus et ex analogia tantum credere liceat fuisse Deli iudicia heliastica. Mercaturae etiam curam epimeletae mandatam inde collegit Nenz,[105]) quod dedicavit unus ex eis Apollini frumenti mensuram legitimam,[106]) atque confirmatur haec opinio certissimo testimonio; nam scriptum legimus Theophrastum Heracliti f. Acharneum,[107]) qui hoc munere erat functus Diotimo archonte, esse statua honoratum, quia forum ornasset et portum mole exstructa tutatus esset.[108]) Quamobrem non possum credere emporii curam habuisse magistratum proprium, ἐπιμελητὴν τοῦ ἐμπορίου appellatum; neque legitur hoc nomen nisi in illa ἀπαρχῶν tabula,[109]) in qua maxime cavendum est, ne ad Delum insulam referas magistratus, qui nihil eam attineant: nam certe et archontes novem strategique primo loco nominantur, de quibus dubitare non licet, quin fuerint reipublicae totius atheniensis magistratus, non cleruchiae deliacae proprios, et nonnullis, qui ibi commemorantur,

---

101) C. I. G. 2270 et 2271. 102) »Recherches« etc p. 310—311. 103) Op. l. p. 309. 104) Cfr. C. I. G. 2287 et 2288. 105) Op. l. p. 15. 106) σήκωμα σιτηροῦ ἡμεδίμνου = ἡμιμεδίμνου: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 374. 107) Saepius quam quivis alius epimeleta appellatur in titulis deliacis: C. I. G. 2286; Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 370; VIII, p. 123 (bis); XI, p. 257. 108) κατασκευάσαντα τὴν ἀγορὰν καὶ χώματα τὰ περιβαλόντα τῷ λιμένι: Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 123. 109) C. I. A. II, 985, fragm. E, col. I, lin. 34—35 et fragm. D, col. II, lin. 27—28.

magistratibus aut sacerdotibus addita sunt verba ἐν Δήλῳ, quod supervacaneum esset, si omnes essent deliaci — idcirco mentionem faciam modo eorum, quos aliis etiam e titulis constat insulae fuisse proprios.

Sanctitatis laudem antiquitus traditam cum hac quoque aetate Delus insula obtinuerit — cuius rei Strabo est testis gravissimus,[110]) qui in brevi insulae rerum enarratione mentionem tamen facit, quantam Athenienses curam sacris rite celebrandis impenderint —, mirum videri non potest primum ab epimeleta locum inter magistratus deliacos obtinuisse duumviros, quorum vel e nomine οἱ ἐπὶ τὰ ἱερά[111]) patet mandatam iis fuisse rerum omnium sacrarum administrationem, ut profanarum curatori summa erat permissa. De singularibus eorum officiis illud certe constat (quamvis nusquam sit plane traditum) summam eorum curam fuisse positam in sollemnibus rite gloriaque insulae digne celebrandis cum aliis tum inprimis Deliis, quae post templi administrationem recuperatam ab Atheniensibus statim videntur redintegrata et in primum inter festa omnia locum restituta esse, et Apollineis (quae a Deliis non fuisse diversa saepius iam monui, nisi quod quotannis celebrabantur. cum illa quinquennalia essent), atque ambo in titulis huius aetatis occurrunt.[112]) Thesea praeterea appellanda sunt, quae in titulo nondum edito commemorantur, ut mecum liberalissime per litteras communicavit Homollius, et Hermaea, quorum mentionem Fougères invenit factam in tribus titulis ephebicis nuper ab eo erutis. Ceterum id solum constat fuisse hos magistratus annuos cum ex aliis titulis, tum ex ἀπαρχῶν tabula, e quibus perspicitur per idem eos temporis spatium munere functos esse atque archontem Athenarum;[113]) creatos autem eos esse ut ἐπιμελητήν putaverim non a cleruchis deliacis, sed a contione atheniensi: videntur enim eadem fere dignitate fuisse atque curator eandemque habuisse in rebus sacris, quam ille in profanis administrandis, auctoritatem, ut, si curator quodammodo cum archonte Athenarum comparari potest eponymo, οἱ ἐπὶ τὰ ἱερά archontis regis simillimi putandi sint.

---

110) Strab. X, 5, 4. 111) C. I. G. 2306 et 2306b add.: Ἀθήν IV, p. 462 (n. 16); Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 348, VII, p. 337; VIII, p. 126.
112) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 379. 113) C. I. A. II, 985, fr. D. col. II, lin. 29 et fr. E. col. I, lin. 38—40.

Putavit olim Homollius (aliique eum secuti sunt) non diversos fuisse ab his magistratibus duumviros alios, qui appellabantur: *οἱ καθεσταμένοι ἐπὶ τὴν φυλακὴν τῶν ἱερῶν χρημάτων καὶ τῶν ἄλλων προσόδων τῶν τοῦ ναοῦ*,[114]) *τῶν ἐπὶ τὰ ἱερὰ* nomen brevitatis causa factum esse censens ex hoc longiore satisque incommodo, cum in errorem esset inductus *ἀπαρχῶν* tabula initio saeculi primi conscripta, quo tempore haec duo collegia in unum confluxisse apparet.[115]) Postea vero vir ille doctissimus seiuncta fuisse haec collegia per secundi saeculi spatium perspexit[116]) e titulis nondum publici iuris factis, quorum unum mecum litteris communicavit, ubi commemoratur collegium quoddam *τῶν ἐπὶ τὴν φυλακὴν* munus obiisse *ἐπὶ Ἄρχοντος ἄρχοντος* — — — — — — — — — *καὶ τῶν ἐπὶ τὰ ἱερὰ τοῦ δεῖνα καὶ τοῦ δεῖνα.* Idem apparet ex nominibus *τῶν ἐπὶ τὰ ἱερὰ* in hoc titulo scriptis et *τῶν ἐπὶ τὴν φυλακήν*, qui eodem Archontis anno sunt munere functi, in alio exstantibus item inedito mihique e litteris Homollii noto, quae prorsus inter se diversa sunt. Ex eisdem titulis didici *τοὺς ἐπὶ τὴν φυλακὴν* et annuos fuisse, quod se in annum Archontis creatos dicunt, et electos quidem *χειροτονίᾳ* vel a cleruchis deliacis vel ab Atheniensium contione. Nam ne illud quidem certa ratione diiudicare licet e titulis adhuc editis, templum Apollinis divitiaeque omnes in eo asservatae utrum reipublicae Athenarum an cleruchiae deliacae propria fuerint: hoc quidem verisimilius videtur, quod hi quaestores nonnumquam iubentur a cleruchorum contione ex aerario pecunias erogare ad praemium viro bene merito dandum vel ad populi decreta lapidi incidenda.[117]) Ce-

---

[114]) Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 125. [115]) Haec sunt Homollii verba; equidem dubitans haereo, quia in tabula hac modo *τῶν ἐπὶ τὰ ἱερὰ* collegium appellatur (Medeo et Argaeo archontibus: cfr. not. 113), modo *οἱ ἐπὶ τὴν φυλακὴν τῶν ἱερῶν χρημάτων* (primo enneteridis anno, deinde Echecrate, Argaeo iterum archontibus: ibid. fragm. D. col. I, lin. 2—4; 35—37; fragm. C. col. II, lin. 11—13), ut, fuerintne ambo nomina promiscue usurpata nullo discrimine (quae est Homollii sententia), an diversis annis modo hoc, modo illud collegium pecunias *ἀπαρχῶν* nomine contulerit, diiudicare certa ratione non liceat — fateor me ad alteram hanc opinionem potius inclinare. [116]) »Archives« etc. p. 25, not. 5. [117]) Haec protuli e titulo nondum edito, quem mecum communicavit Homollius.

terum licet credere magistratus hos ἐπὶ φυλακὴν τῶν χρημάτων etc. καθεσταμένους eisdem fere officiis esse functos atque hieropoeos deliacos, cum videamus ab iis esse dei pecunias eadem ratione foenori datas et praedia elocata.[118]) Collegio huic vel alteri τῶν ἐπὶ τὰ ἱερά — non enim res perspicua est — adiunctus fuisse videtur servus publicus (δημόσιος), qui in titulo nondum edito traditionem rerum sacrarum continente (quem supra iam commemoravi) tali modo appellatur, ut eum pateat magistratibus in tradendo aerario fuisse praesto — more quidem attico; Athenienses enim cognitum habemus saepissime esse usos servorum publicorum officiis in pecuniis maxime administrandis apparitorum vel ἀντιγραφέων loco, quia βασανίζειν eos licebat, quod in cives non cadebat.[119]) Deli servum hunc publicum ad munus suum, quodcunque fuit, esse κεχειροτημένον eodem titulo edocemur. Rationes a novis templi administratoribus scriptas, primis post insulam subactam annis (Posidonii, Aristola, Anthesterii, Callistrati archontum) exceptis, nullas exstare iam supra monui teste Homollio, inventaria autem satis multa, quorum tamen ne unum quidem est publici iuris factum; quare de sacri aerarii administratione id solum dicere licet, cum fuerit iam tempore liberae reipublicae deliacae rationi atheniensi simillima, ne post insulam quidem Athenarum dicioni subactam magnopere eam commutari potuisse. Solum, quod cognitum est, ut proferam, in dei praediis elocandis, vel potius in domibus — nam de fundis nihil innotuit — tempus locationis a decem ad quinque annos est imminutum.[120])

---

[118]) Haec discimus e parvulo frustulo rationum Anthesterio et Callistrato archontibus scriptarum, quod exstat: Bull. d. Corr. Hell. p. 185—186.

[119]) Una cum quaestoribus in pecuniae traditione, ut in titulo deliaco, appellantur in rationibus aerarii atheniensis Ol. 108, 3 et 4 scriptis (C. I. A. II, 737); mensurarum specimina lege constituta asservasse δημόσιοι dicuntur, ὁ ἐν Σκιάδι et ὁ ἐν Πειραιεῖ et ὁ ἐν Ἐλευσῖνι in titulo notissimo: C. I. A. II, 476, quem Koehler exeunti saeculo secundo tribuit, i. e. eidem tempori, quo etiam deliacus videtur scriptus.

[120]) In frustulo rationum atheniensium supra (not. 118) appellato (Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 185) haec leguntur verba (quae ut multas ob causas cognitu utilissima hic tota perscribo): συνοικίαν Μαφιχιδῶν (trittya est vel gens, quam saepius in titulis liberae civitatis commemoratam invenimus), ἣν ἐμεμίσθωτο Σαραπίων, διὰ τὸ ἀπεληλυθέναι Σαραπίωνα ἐκ τῆς νήσου (Delius videlicet erat

Cum sacri aerarii administratoribus arcta necessitudine coniunctum fuisse credibile est *τὸν ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν τὴν ἐν Δήλῳ*, qui commemoratur cum in *ἀπαρχῶν* tabula saepius appellata, tum semel etiam in titulo Deli reperto.[121]) Quem ex ipso nomine apparet successisse in locum negotiatorum illorum (Nymphodori Heraclidisque cum collegis), qui liberae reipublicae tempore quo officio functi sint, supra exposuimus. Sed de his negotiatoribus cum dubium non sit, quin homines privati suas res gerentes eidem reipublicae quoque officia sua praestiterint, minime constat *τὸν ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν* magistratum non fuisse; nam et inter alios magistratus certos commemoratur in *ἀπαρχῶν* tabula neque usquam discimus eum per complures annos continuos (ut illos negotiatores) munere functum esse, quod esset signum privatae hominis condicionis. Multis certe in civitatibus graecis Teni, Cyzici, Temni (in Aeolide), aliis scimus fuisse mensarios, ut eos Cicero appellat, qui magistratus essent publice creati, cuius rei multa testimonia contulit Fränkel in recenti editione Boeckhianae »Oeconomiae Atheniensium publicae«.[122]) Sed quod idem verisimile sibi videri dicit *τὸν ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν*, qui Athenis quoque occurrit,[123]) numquam fuisse magistratum, nulla, quod sciam, attulit opinionis suae argumenta. Quod si certum esset, etiam de deliacae mensae publicae administratione dubitatio omnis tolleretur: nam si *ὁ τραπεζίτης* atheniensis homo erat privatus ut negotiatores illi, quibuscum hieropoci olim deliaci egerant, qui factum est, ut *ὁ ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν τὴν ἐν Δήλῳ* post insulam subactam

---

eamque ob causam insula pulsus) *Σωτήριχος Διονυσίου Νάξιος εἴς τε τὸν ἐπίλοιπον χρόνον τοῦ ἐνιαυτοῦ καὶ εἰς ἔτη πέντε τὰ μετὰ ἄρχοντα Ἀνθεστήριον· ἔγγυος Ἄδμητος Διονυσίου Ἀπολλωνιάτης.* De fundis iam dixi nihil nos compertum habere, pecuniae autem in quinque annos, ut antea etiam mos erat, foenori dabantur: *Ἀμμωνίῳ Συρίῳ οἰκοῦντι ἐν Δήλῳ* (eadem ratione, qua inquilinus in Attica dicebatur *οἰκῶν ἐν* ..... pagi nomine addito) *τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου* (*ἐδάνεισαν*) *δραχμὰς* .... *εἰς ἔτη πέντε τόκων ἐπιδεκάτων* (ut iam tempore administrationis amphictyonicae, deinde liberae civitatis deliacae assolebat) *ἐπὶ ὑποθήκει οἰκίας* (ex eiusdem tituli columna altera Callistrato archonte scripta).

121) C. I. A. II, 985, fragm. D. col. I, lin. 31; col. II, lin. 10 et fragm. E. col. II, lin. 55; Bull. d. Corr. Hell. IV, p. 221. 122) Staatsh. d. Athen. II, p. 319, not. 2. 123) C. I. A. II, 834b, lin. 4.

constitutus evaderet magistratus a populo in certum tempus creatus? Ut nunc est nostra de hac re notio, magis ad eam inclino opinionem, ut credam magistratus fuisse *τραπεζίτας* hos deliacos, cum inter tres adhuc notos occurrat Medei Piraeensis nomen,[124]) quem virum summo loco natum minime verisimile est mensam lucri causa in insula privatim instituisse.[125])

Ut magistratibus deliacis defungar, mentio est facienda *ἀγορανόμων*, quorum de munere et satis noto et a me iam supra pertractato inutile est multa verba facere, cum certe idem manserit, quod fuerat tempore reipublicae Deliorum liberae: constat enim primis post insulam subactam annis etiam numerum eorum eundem mansisse, ut terni quotannis crearentur,[126]) postea vero iam ante initium saeculi primi ad binos esse redactum.[127]) Adiunctus eis erat scriba, qui cum sorte constitutus (*κληρωτός*) — atque e civium certe numero — appelletur,[128]) colligere inde possis agoranomos in eodem titulo una cum eo nominatos e contrario esse suffragiis populi electos.

Magistratibus quodammodo simillimi sunt ephebornm magistri, de quibus, quamvis deficiant documenta — quaedam inventa[129]) publici iuris nondum sunt facta —, tamen pauca dicenda sunt, ne silentio praetereatur tanti momenti institutum. Cleruchiam deliacam *ἐφηβίαν* propriam habuisse ab atheniensi diversam iam inde colligere possis, quod in catalogis epheborum Atheniensium paucissimi tantum appellantur, quorum nomina item in titulis Deli inventis occurrunt, atque hi saepissime epimeletae aut duumvirorum *ἐπὶ τὰ*

---

[124]) Functus est hoc munere Argaeo archonte, quo tempore etiam *ἐπιμελητὴς Δήλου* et *ἀγωνοθέτης* cum Deliorum tum Panathenaeorum erat: C. I. A. II, 985, fragm. D. col. II, lin. 8—15. [125]) Supplendum est hic, quod suo loco consulto omisi ut non satis certum: iam in titulo quodam ab amphictyonibus atticis scripto vocem »*τράπεζα*« esse restitutam a Boeckhio primum, deinde a Koehlero (Staatshaush. d. Athen. II^3, p. 290 = C. I. A. II, 824, lin. 12). qui etiam haec addit: »mensam intellego publicam, quam recentiore certe aetate in insula Delo fuisse constat«.

[126]) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 33. [127]) Hic est eorum numerus in *ἀπαρχῶν* tabula: C. I. A. II, 985, fragm. E. col. I, lin. 36—37.

[128]) Bull. d. Corr. Hell. X, p. 33. [129]) Cfr. quae de hac re dixit Fougères »Fouilles de Délos«: Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 245 sqq.

ἱερὰ munere functi,[130]) quos magistratus summos iam supra verisimillimum visum est ab Athenarum contione esse electos — videlicet saepius e numero civium in urbe, non in insula habitantium. Confirmatur haec opinio iam multis titulis, in quibus et epheborum et gymnasiarchi fit mentio,[131]) cum minime credere liceat fuisse eos Athenienses in ipsa Attica habitantes, qui statuas Deli, ut alii quoque homines, maioris honoris causa ponerent: patet enim e titulis his dedicatoriis gymnasiarchum tali in ephebos auctoritate esse usum, quali Athenis cosmeta erat praeditus — illi statuam dedicant τὸν ἑαυτῶν γυμνασίαρχον appellantes,[132]) quod inauditum esset Athenis, ubi hic honos cosmetae soli reservatur, qui contra in titulis deliacis nusquam occurrit. Itaque in ἀπαρχῶν quoque tabula commemoratur γυμνασίαρχος εἰς τὸ ἐν Δήλῳ γυμνάσιον,[133]) cosmetae vero mentio nulla fit, ut ne fuisse quidem Deli eius munus pro certo haberi possit officiisque eius gymnasiarchum esse functum, quem eligi suffragiis populi solitum atque in definitum tempus apparet e titulo quodam nondum edito mihique Homollii beneficio cognito. Et in hoc et in aliis duobus iam publici iuris factis collaudantur homines quidam ob sua in ἐλευθέρους παῖδας merita: unus musicus est Amphicles, qui prosodium in Deli insulae populique Atheniensium honorem et composuit et pueros edocuit ad lyram canere.[134]) Iam supra dixi post insulam ab Athenien-

---

[130]) Ut exempla afferam: Nicanor Nicanoris f. Leuconoensis, qui curator insulae fuit Apollodoro archonte (Bull. d. Corr. Hell. III, p. 376) occurrit in catalogo epheborum τῶν ἐφηβευσάντων ἐπὶ Μενοίτου ἄρχοντος (C. I. A. II, 465, lin. 66); Theodorus Hestiaei f. ἐκ Κεραμέων, qui cum Diophanto Aristoclis f. Marathoniensi τῶν ἐπὶ τὰ ἱερά munere est functus Procle archonte (Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 126: cfr. ibid. X, p. 35), cosmeta fuerat Hipparcho archonte, corona donatus insequenti Lenaei anno (C. I. A. II, 469, lin. 52). [131]) C. I. G. 2276, 2277 a. b, 2279; Bull. d. Corr. Hell. III. p. 376; IV, p. 188. In titulo uno a Lebegio invento (»Recherches« etc. no. 23) etiam ὑπογυμνασιάρχου fit mentio, sed nescio an non sit huic tempori tribuendus: nomina ibi occurrentia Mennis et Crittis potius Delios videntur indicare; accedit, quod pagorum nomina non sunt addita. [132]) Nicanori Nicanoris f. Leuconoensi: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 376. [133]) C. I. A. II, 985 fr. B. col. I, lin. 16—17; D. col. I, lin. 39; E. col. II, lin. 53—54. [134]) »Rapport« etc. p. 37, no. 67: laudatur Apollonius Demetrii f. Laodicensis; Bull. d.

sibus subactam Deli quoque esse instituta more attico Thesea, in quibus primas partes scimus ephebos egisse, atque titulus, ubi commemorantur, nondum editus est dicatus ob victoriam in *λαμπαδοδρομίᾳ* partam, videlicet ab ephebo quodam.[135]) Plura de instituto hoc dici poterunt, si tituli tres ephebici publici iuris facti erunt, quos nuper Deli invenit Fougères: nunc breviter tantum commemoravit in iis et paedotribae nomen occurrere Staseae Philoclis f. e Colono — eiusdem, qui sacerdotio aegyptiorum deorum est functus — et lampadarchos gymnasiarchosque appellari ex ephebis electos,[136]) quos cave confundas cum gymnasiarcho, de quo supra verba feci, publico.

Postremo non praetereundi sunt praesertim in insula sacra — sacerdotes, quorum cum de munere neque quicquam in titulis memoriae traditum sit et, quale fuerit, per se ipsum intellegatur, sat erit breviter eos enumerare. Omnibus dignitate praestitisse certum est sacerdotem Apollinis, quamvis rarius in titulis commemoretur;[137]) saepissime vero fit mentio Sarapidis sacerdotis;[138]) secundo loco appellandi sunt sacerdos *Διὸς Κυνθίου καὶ Ἀθηνᾶς Κυνθίας*,[139]) sacerdos *Ἀταργάτιδος καὶ Ἀδάδου*[140]) vel Veneris

---

Corr. Hell. X, p. 35—36; tertium tam est mutilum, ut pauca admodum legi possint: ibid. X, p. 37—38.

[135]) »Rapport« etc. p. 24, n. 22. [136]) Cfr. Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 245—248, 259, 264—265: de Hermaeis celebrandis agitur in his titulis. [137]) Bull. d. Corr. Hell. I, p. 87 (e Cyriaci titulis): III, p. 368; V, p. 463; VII, p. 337 et 370. Munus eius postea factum est *διὰ βίου*: tales tres novimus sacerdotes — Pammenem Zenonis f. Marathonium Augusti aequalem (ibid. II, p. 399; III, p. 153 et 156; VIII, p. 154, 155, 156), Tiberium Claudium Novium, Imp. Neronis aequalem (ibid. II, p. 400; III, p. 160 et 161), Musonium Rufum Antonino Pio aetate supparem (C. I. A. III, 1298, lin. 3 et 4). [138]) Exceptis quibusdam mutilis 36 nomina eorum numeravi: C. I. G. 2293, 2295, 2297—2300, 2302; *Ἀθήν*. II, p. 134 (nn. 1, 2, 3); ibid. IV, p. 457—459; Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 368; plurimos autem invenimus nominatos in titulis, quos Hauvettius ibidem publici iuris fecit in vol. VI, inde a p. 316 passim, ut operae pretium non sit singula adferre. [139]) In octo occurrunt titulis eorum nomina, qui omnes exstant apud Lebegium »Recherches sur Délos«, p. 139 sqq. (nn. 1, 2, 6, 8, 10, 13, 14, 15). [140]) Saepissime appellantur sacerdotes hi in titulis, quos Hauvettius in Veneris templi area a se reperta

Syriae (pro uno eodemque habeo, ut supra iam pluribus dixi, nullamque causam video, cur seiungantur), ἱερεὺς Θεῶν Μεγάλων Διοςκύρων (καὶ) Καβείρων;[141]) semel vel bis solum commemorantur sacerdos Bacchi (quem scimus sorte creatum), sacerdotes Aesculapii, Anionis vel Anii (regis insulae fabularis, qui Aeneam traditur hospitio recepisse), Romae deae.[142]) Omnes hi et annui erant et, quod quidem cognitum sit, plerumque suffragiis electi; sacerdotium idem iterare fas fuisse apparet, sed non amplius duo exempla huius rei in tot servatis sacerdotum nominibus agnoscuntur: Philocrates Philocratis f. bis functus est Sarapidis sacerdotio,[143]) item Eubulus Demetrii f. Marathoniensis bis est electus ἱερεὺς τῶν Μεγάλων Θεῶν.[144]) Maxime mirum est, cum tot sacerdotes in titulis occurrant, quod nulla fere mentio fit ἱερειῶν, praesertim cum iam

---

invenit et publici iuris fecit in altera parte dissertationis, quae »Fouilles à Délos« inscribitur: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 470 sqq. passim; quanquam nonnulla eorum nomina antea iam innotuerunt: Ἀθήν. IV, p. 459 et 461—463. Atargatidis autem sacerdotes nisi in titulis a Hauvettio editis nusquam occurrunt (ibid. p. 495—500). 141) Cabirorum sacerdotes duo iam Boeckhio erant noti: C. I. G. 2270 et 2296; tres alios e titulis nuper repertis protulit Reinach in dissertatione »L'Inopus et le sanctuaire des Cabires« (Bull. VII, p. 329 sqq.): cfr. p. 337 et 339—340; et praeterea dedicationes publici iuris fecit sacerdotis, ut ipse se nominat, Καβείρων καὶ Ποσειδῶνος Αἰσίου διὰ βίου Helianactis Asclepiodori f., quem idem vir doctissimus certissima ratione demonstravit esse hoc munere functum ultimis saeculi secundi a. Chr. n. decenniis (120 – 100): cfr. ibid. p. 348 sqq., ubi omnia, quae vel de officio ipso vel de hominibus in titulis his decem occurrentibus dici poterant, iam dixit.

142) Bacchi et Aesculapii sacerdos in eodem titulo commemorantur (C. I. G. 2270), ubi utroque munere, variis videlicet annis, functus esse dicitur Eubulus Demetrii f. Marathoniensis. — Anii sacerdotis mentio fit in titulo a Fugerio publici iuris facto (Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 273) et in ἀπαρχῶν tabula (C. I. A. II, 985, fragm. D. col. I, lin. 10 et E. col. I, lin. 4 et 53—54). — Romae sacerdos semel occurrit et χειροτονηθείς dicitur, si recte titulum mutilum restituit Homollius: Bull. d. Corr. Hell. X, p. 34. — De Hecatae sacerdote cfr. infra. 143) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 333—334; nomen sacerdotis in hoc titulo ex antecedente, ubi sacerdos Philocrates (paterno nomine omisso) commemoratur, a me restitutum est ita, ut lacunas tali ratione explerem: Φιλ[οκράτης Φ]ιλ[οκράτ]ου Ἀθηναῖος ἱερεὺς γενόμενος Σαράπιδος δίς. 144) C. I. G. 2270.

liberae reipublicae deliacae tempore commemorentur ἱέρεια Cereris et alia eius filiae, quae sacerdotia sublata esse minime est verisimile, atque item Isis quin suam habuerit sacerdotem, dubitare nequaquam liceat. Una tantummodo tempore cleruchiae atticae innotuit sacerdos, sed haec omnibus aliis dignitate longe praestans: Sosandra Sarapionis Melitensis, viri nobilissimi filia, quae sacerdos fuit Apollinis sororis — ἱέρεια Ἀρτέμιδος;[145]) quod maximi est momenti, cum ante hunc titulum nuper inventum dubium fuerit, habueritne omnino Diana Delia propriam sacerdotem: notus erat tantum ἱερεὺς (non ἱέρεια) Ἀρτέμιδος ἐν Νήσῳ,[146]) i. e. Hecatae, quam scimus iam ante cultam in parva hac insula, ab illa ipsa nomen ducente. Nunc vero certum est Dianam Deliam non solum sacerdotem habuisse propriam, sed etiam ὑφιέρειαν: cum enim iam pridem cogniti essent tituli duo,[147]) in quibus commemorabantur ὑφιέρειαι singulae nomine deae ab illis cultae non adscripto, non licebat Dianae eas putare, cuius ne sacerdos quidem nota esset, reperto autem illo titulo minime dubium hoc esse potest ob dedicationem in utroque Dianae factam.[148])

Cum sacerdotibus arctissime coniuncti sunt unaque cum iis saepissime appellantur ministri quidam variae inter se dignitatis, quorum breviter mentio est facienda. Ceteris longe praecellunt honore Deliastae — theori quinto quoque anno ab Atheniensium civitate constituti (sed minime ex una semper eademque gente, ut iam

---

145) Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 262. 146) C. I. A. II, 985, fragm. D. col. I, lin. 7—8 et E. col. I, lin. 5—6, 47—48 et col. II. lin. 28—29.

147) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 380—381. 148) Quare etiam in titulo iam pridem ab Homollio edito (Bull. d. Corr. Hell. III, p. 379) hoc ἱερείας nomen supplendum mihi videtur (primam tantum columnam perscribo Homollii supplementis pro certis in textum receptis):

Φιλίππην Μηδείου
Πειραιέως θυγατέρα
ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ
Τιμοθέα Γλαύκου
Πειραιέως θυγάτηρ
κανηφορήσασαν Δήλια
[καὶ ἱέρειαν] γενομένην
[Ἀρτέμιδος.] Ἀπόλλωνι.
Ἀρτέμιδι. Λητοῖ.

supra dixi), qui Deliis celebrandis interessent: ad Delia tantum eos esse missos, non item ad Apollinea inde patet, quod nomini Medei Medei f., qui unus est nobis nominatim Deliasta notus,[149]) non est adiectum, ad quod festum sit missus, cum in eodem titulo soror eius maior natu ad Delia sola, minor praeterea etiam ad Apollinea dicatur *κανηφόρος* capta esse — omissum est festi nomen, quia sine dubio ad unum tantum sollemne mitti solebant Deliastae, videlicet ad Delia. Similes ministri honoris et pompae maioris causa, sine certo officio, constituti fuisse videntur cliduchi (*κλειδοῦχοι*), qui saepius in titulis occurrunt annuo certe munere praediti atque item e nobilissimis familiis, e quibus etiam sacerdotes, electi — adolescentes vel pueri; in Apollinis cultu nulli videntur adhibiti esse, commemorantur tantum *Διὸς Κυνθίου*[150]) et aegyptiorum deorum[151]) cliduchi, fortasse etiam Veneris Syriae, sed hoc minus certum.[152]) Nescio an ministris his adnumerandus sit *κῆρυξ εἰς Δῆλον* saepius in *ἀπαρχῶν* tabula appellatus,[153]) quem eodem esse munere functum atque *ἱεροκήρυκα* tempore reipublicae liberae occurrentem verisimillimum mihi videtur.

Magis notum est atque saepissime etiam Athenis occurrit *κανηφόρων* nomen et munus, quarum satis multae in deliacis quoque titulis appellantur non dearum modo variarum cultui consecratae, sed, quod mireris, etiam deorum.[154]) Saepissime nominantur *κανηφόροι* in Deliis aut Apollineis celebrandis[155]) officio hoc functae, quas Dianae fuisse putaverim, licet semel occurrat etiam *κανηφόρος* Apollinis Venerisque[156]) — e nobilissimis civitatis familiis omnes captae (ab archonte, ut credere licet, quanquam huius rei duo tantum exempla[157]) innotuerunt), epimeletarum et archontum

---

[149]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 379. [150]) Lebègue »Recherches sur Délos« n. 2 et 9; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 344. [151]) *Κλειδουχήσας Σαράπιδι, Ἴσιδι, Ἀνούβιδι*: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 326; cfr. etiam ibid. VI, p. 329, 342, 346, fortasse 348. [152]) Appellatur enim una cum sacerdote Veneris Syriae: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 348.

[153]) C. I. A. II, 985, fragm. D, col. I, lin. 13 et E. col. I, lin. 15, 43—44, 65—66. [154]) Quanquam cognitum habemus etiam Athenis constitutam fuisse Bacchi *κανηφόρον*, quam archon capere solebat: qua de re cfr. Koehleri commentarium ad C. I. A. II, 420. [155]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 379 et 380; XI, p. 262. [156]) Ibid. VII, p. 367.

[157]) C. I. A. II, 420 et Dittenberg. Syll. Inscr. Graec. no. 383.

filiae. Neque rarius appellantur Isidis *κανηφόροι*,[158]) sed semel tantum Bacchi.[159])

Multo minore videntur dignitate usi esse varii peregrinorum deorum apparitores, quippe qui e metoecis capi possent: Melanephori et Sindonophori, *Ὀνειροκρίτης* et *Ἀρεταλόγος* deorum aegyptiorum, *θεραπευταὶ* et horum et Veneris Syriae.[160])

Ultimum in hoc genere videntur obtinuisse locum *ζάκοροι*: Iovis Cynthii, Sarapidis, Atargatidis vel Veneris Syriae — hi enim tres soli occurrunt;[161]) quos crediderim in locum successisse *νεωκόρων* deliacorum. Certe uno excepto, qui civis fuisse videtur (sed nomen eius legitur in titulo tam mutilo,[162]) ut facile error subesse possit), ceteri omnes, ut e demotico non addito perspicitur, inquilini erant vel potius servi publici. Atque munus per multos interdum annos continuos habebant, quod in magistratibus honoris

---

[158]) C. I. G. 2298; *Ἀθήν.* IV, p. 462; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 342 et 348; VII, p. 368. [159]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 338: *Κανηφορήσασαν τῷ Διονύσῳ ἐν τῷ ἐπὶ Παραμόνου ἄρχοντος ἐνιαυτῷ.* Quare etiam Sosandrae titulum a Fugerio nuper publici iuris factum (Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 262), quanquam dubitanter, tali modo restituendum propono:

Σαραπίων Σαραπίωνος
Μελιτεὺς τὴν ἑαυτοῦ
θυγατέρα Σωσάνδραν
κανηφορ]ήσασαν [Λ]ηναίοις
Διονυ]σίοις, Ἀρτέμιδι
καὶ ἱέρειαν γενομένην
Ἀπόλλωνι, Ἀρτέμιδι, Λητοῖ.

[160]) Melanephori deorum aegyptiorum: C. I. G. 2293—2295, 2297 = Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 318; *Ἀθήν.* II, p. 134 (no. 1); IV, p. 460. — Sindonophorus: Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 324. — *Ὀνειροκρίτης*: ibid. VI, p. 324, 325, 339. — *Ἀρεταλόγος* (de eius officio cfr. Reinachii »Les arétalogues dans l'antiquité«: ibid. IX, p. 257—265): ibid. VI, p. 327 et 339. — *θεραπευταὶ* deorum aegyptiorum: C. I. G. 2293 et 2295; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 318 et 323; VIII, p. 103. — *θεραπευταὶ* Veneris Syriae: *Ἀθήν.* IV, p. 461 et 462; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 489, 492, 493 et 501. [161]) Zacori Iovis Cynthii et Athenae Cynthiae: Lebègue »Recherches sur Délos« no. 1, 2, 8. — Sarapidis: C. I. G. 2298; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 326, 328, 329, 346, 500. — Veneris Syriae (Atargatidis quoque): *Ἀθήν.* IV, p. 462 (bis); Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 346, 490, 497 et 499. [162]) Lebègue, op. l. no. 8.

causa electis numquam fieri poterat — Euodus, Veneris zacorus, per duodeviginti annos[163]) hoc officio est functus, Nicephorus Iovi etiam longius apparuit, per triginta et septem annos.[164]) Iam dixi probabilius mihi videri fuisse eos servos publicos vel dei proprios (*ἱερούς*), quod in *νεωκόροις* deliacis documentis quibusdam allatis demonstrare conatus sum. Quanquam una cum Veneris zacoro *δημόσιος* quidam ipso hoc nomine appellatus bis occurrit,[165]) qui fueritne idem an diversus ab illo, quem adiuvisse sacri aerarii quaestores vidimus, diiudicari non quit: mihi quidem hoc non obstare videtur, quominus sit zacorus item e servis electus.

Perlustravimus iam omnes, quot quidem innotuerint, magistratus ministrosque infimos, qui aliquo sunt munere functi maiore vel minore in cleruchia deliaca, quamdiu templa opibus famaque florebant atque insula ipsa divitiis atque existimatione valebat, i. e. per saeculi secundi alteram partem primique initium, dum in bellis, quae cum populo Romano Mithridates Ponti rex gessit, periit sacrae insulae prosperitas bis direptae a regis illius primum ducibus, deinde ab eius sociis — piratis. Quae quamvis sint iam saepius ab aliis pertractata neque novi quicquam addi possit, tamen necesse est, quoniam insulae vices per tot iam saecula persecuti sumus, etiam extremos eius casus breviter enarrari.

VIII.

Non uno die cecidit sacra Delus. Varios casus belli Mithridatici enarrare eo magis taedet, quod nihil ad Delum pertinent. Satis notum est, quomodo rex Ponti omnibus locis populo Romano inimicitias conflare studuerit et qua ratione adiutus ab Aristione philosopho, qui postea Athenarum dominatione potitus est, hanc civitatem ad defectionem pellexerit. Idem hoc in Delo insula eum conatum esse facere, fortasse ut Romanis ibi habitantibus eandem

---

[163]) Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 346 et 490. [164]) Lebègue »Recherches« etc. no. 1 et 2. [165]) Atque bis idem — Eutychides: *Ἀθήν.* IV, p. 461 et 462.

sortem compararet, qua Asiam incolentes affecerat, et consentaneum est et testimoniis quibusdam demonstrari videtur. Atque primo loco commemoro satis multas statuas ibi in eius honorem esse positas, quarum aliquot ad nostram aetatem servatae sunt bases — quattuor omnino sunt repertae,[1]) sed maiorem multo fuisse quondam eorum numerum inde colligere possis. quod postea sine dubio et statuae eversae sunt et ipsum regis nomen exsculptum: quae non positae essent regionis tam longinquae domino, nisi insulam ipse quoque satis magnis affecisset donis animosque multorum incolarum sibi conciliavisset. Maioris etiam videntur mihi momenti imagines, quas Helianax Asclepiodori f. Atheniensis sacerdos *διὰ βίου* Cabirorum et *Ποσειδῶνος Αἰσίου* in saepibus templi sui insculpendas curavit, Syriae et Cappadociae regum, ducis cuiusdam Parthici, quattuor Mithridatis ipsius ducum vel ministrorum;[2]) nam, quo inter se contineantur quasi vinculo tam diversorum hominum imagines, quippe quae videantur et uno eodemque tempore et certo quodam consilio insculptae esse, etiam atque etiam quaerenti mihi persuasi illud vinculum non esse non posse Mithridatem Ponticum — hic enim solus semper studebat varios Orientis reges populosque secum societate mutuaque fide iungere, ut eorum opibus contra populum Romanum uteretur, solus Parthorum regis ministrum in templum deliacum introducere potuit. denique si non ipsius, at quattuor eius amicorum ducumque primorum exercitus (in his Dorylaus Philetaeri f. et Gaius Hermaei f. notissimi sunt), ut iam dixi, simulacra habemus. Qua re discimus iam ante annum a. u. c. 658 = 96 a. Chr. n. (hoc enim anno et Antiochus VIII., rex Syriae et Ariarathes Philometor, rex Cappadociae mortem obierunt, quorum imagines hic exstant inter ceteras insculptae) Mithridatem cepisse consilium belli cum populo Romano gerendi atque id egisse, ut quam plurimos iis compararet hostes inter Orientis reges et Graeciae gentes, odio illo Romani nominis exagitatus, quod per totam vitam retinuit.

Sed Delus quidem insula spem regis fefellit atque etiam Atheniensibus partes eius amplexis in fide populi Romani per-

---

[1]) C. I. G. 2277 et 2277a; Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 103 et 104.

[2]) Cfr. quae de his titulis et imaginibus ac de personis ipsis commemoratis disputavit Reinach: Bull. d. Corr. Hell. VII, p. 346—364.

mansit, neque dubito, quin magnus Italorum insulam incolentium numerus causa fuerit, cur cleruchia deliaca urbis parentis consilium non sequeretur. Posidonio autem auctore scimus[3]) Aristionem Athenarum dominatione potitum misisse Apelliconem Teium item philosophum indole sui simillimum cum exercitu ad insulam domandam atque hunc ab Orobio duce quodam Romano (praetorem appellare non audeo) parva militum manu turpissime fugatum et machinis impedimentisque omnibus privatum esse. Quod titulis duobus ad hoc ipsum tempus pertinentibus confirmari videtur: unus est de basi statuae in honorem »Q. Pompei Q. f. Rufi cos.« (latina lingua est scriptus) positae,[4]) qui collega fuit in consulatu L. Sullae (a. u. c. 666 = 88 a. Chr. n.) et, antequam magistratu abiret, a militibus est occisus, ut titulus certa ratione sit ad ipsum consulatus annum referendus, i. e. ad illum, quo Atheniensium civitas a populo Romano defecit, alter item de basi statuae, qua honoratus est »M. Antonius M. f. Praet. Cos. Cens.«[5]) orator videlicet ille nobilissimus, neque ante annum a. u. c. 657 = 97 a Chr. n. — hoc enim anno functus ille est censura — scriptus esse potest neque post 667 a. u. c. = 87 a. Chr. n., quo iussu C. Marii est interfectus, verisimillimumque videtur hanc quoque statuam esse eodem quo Q. Pompei positam tempore, i. e. post insulam sui iuris factam, cum dedicata sit a »Deliis«, quo nomine nullo modo poterant appellari cleruchi athenienses, nisi postquam ab urbe parente defecerunt. Magis dubia res est de titulis duobus latina lingua scriptis, quorum alter nondum editus est,[6]) in quibus appellatur L. Cornelius L. f. Sulla procos., cum vix sit probabile permansisse eos post insulam a Mithridatis ducibus captam atque vix possint seiungi a titulo item latine scripto de basi statuae, quam in honorem proquaestoris eius L. Licinii Luculli posuisse dicuntur »populus Atheniensis et Italicei et Graecei, quei in insula negotiantur,«[7]) videlicet iam post Athenas a Sulla expugnatas (86 a. Chr. n.): adventu enim Sullae Luculique in Graeciam iam defecerant Athenienses, neque statuas posuissent homini cuiquam Romano.

---

3) Athenae. V, p. 214d—215b. 4) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 181.
5) Ibid. VIII, p. 133 (additis Theod. Mommsenii litteris).
6) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 172; Homolle »Rapport« etc. p. 22, n. 26.
7) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 146.

Sed non diu civitas deliaca recenti libertate usa neque mensibus aliquot amplius victoria gavisa est; iam ipso hoc anno 666 a. u. c. = 88 a. Chr. n., ut videtur (nam accurata temporum descriptio in his rebus admodum est difficilis) subacta est a Mithridatis ducibus, ab Archelao, ut Appianus narrat, a Menophane vel Metrophane secundum Pausaniam[8]) atque viginti milibus hominum, inprimis Italorum, occisis horrendum in modum devastata et direpta; pecuniae sacrae in templo asservatae Athenas sunt deportatae Aristionique traditae; insula ipsa, divitiis suis gloriaque sanctitatis orbata, ab incolentibus deserta, misera et egens, rursus in Atheniensium ditionem venit iisque ne a Sulla quidem victore est erepta, fortasse quia eius possessio nullam iam videbatur habere utilitatem. Sed Deli situs commercio asiatico quam maxime opportunus denuo et incolas allexit et negotiatores romanos, qui magis quam ipsi domini Athenienses, obsidione belloque diuturno exhausti et a tyranno simul eiusque victore multis civibus orbati, pristinum statum insulae restituere conati sunt. Atque hi et veteres statuas reficiendas curaverunt et novas dedicaverunt, eorumque nomina saepissime occurrunt in titulis, qui insequentibus annis vel certa vel verisimili ratione tribuuntur, cum multo rarius fiat populi Atheniensium mentio, cleruchi autem insulam tenentes numquam fere commemorentur. Ad hoc tempus refero statuas, quas iam appellavi,[9]) L. Sullae, quarum alteram ei »conlegia« (negotiatorum videlicet romanorum) dicaverunt, et L. Luculli, quibus adiungendae sunt Aulo et Publio Gabiniis positae,[10]) legatis Sullae, ut videntur. Non huius certe loci atque inutile etiam est post Homollii praeclaram dissertationem de Romanis Delum incolentibus titulos omnes

---

[8]) Appian. Mithridat. cap. 28; Pausan. III, 23, 3. Apud Plutarchum (Sull. cap. XI) legitur: *Ἀρχέλαος τάς τε Κυκλάδας νήσους ἐδουλοῦτο καὶ τὴν Εὔβοιαν αὐτὴν εἶχεν*, cum Appianus Archelaum quidem dicat Delo direpta Athenas venisse, Euboeam autem eodem tempore a Metrophane occupatam: licet credere duces ambos una per Aegaeum mare navigasse Delumque cepisse, postea divisa classe huc et illuc profectos, quae opinio videtur Strabonis (X, 5, 4) testimonio confirmari hoc tantum dicentis insulam esse direptam a Mithridatis ducibus nullo nominato atque a »tyranno«, videlicet Aristione. Florus (III, 8) solus Neoptolemum Archelai fratrem commemorat. [9]) Cfr. nott. 6 et 7. [10]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 143.

ad hos annos pertinentes perscribere, quamvis non ita multi sint; sed non possum facere, quin commemorem magistrorum duorum (Mercurialium videlicet) nomina. L. Orbii M. f. Hor(atia) et A. Attioleni A. f. Vel(ina), tribuum notis adscriptis insignia, quorum ille duas statuas dicavit,[11]) hic unam C. Billieni »reficiendam coiravit«;[12]) quamobrem credo etiam alteram huius viri statuam non sine Italorum collegiis esse refectam ab Aristandro Pario, fortasse etiam aliam ignoti hominis, quam artifex idem ἐπεσκεύασεν.[13]) Postremo commemoro duos titulos, quos iam alio loco dixi esse scriptos a collegiorum magistris,[14]) unum M. Aemilio Lepido, Q. Lutatio Catulo coss. (676 a. u. c. = 78 a. Chr. n.), alterum — L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta (680 a. u. c. = 74 a. Chr. n.). Eodem fere tempore C. Verres, Siciliae ille praedator, cum Dolabellae legatus esset, statua quadam sanctissima clam noctu ex Apollinis fano ablata, ostendit non omnia a Mithridatis barbaris deleta esse opera atque artificia.[15])

Romani sacram insulam ad pristinam prosperitatem restituere conabantur, Romani eam diripiebant, Romanorum incuria et segnities in rebus gerendis ruinae Deli causa fuit. Tempore enim illo, quo L. Lucullus bellum contra Mithridatem alterum gerebat, factum est, ut huius socii piratae — quod malum tum a Romanis paene neglectum maria omnia insulasque infestabat — Athenodoro duce poterentur Delo insula et urbe (a. 69 a. Chr. n.) neque moenibus cincta neque Romanorum classe defensa illamque denuo diriperent, hanc funditus everterent; insula iam devastata supervenit C. Triarius Luculli legatus ab eo classi praefectus ac muro cinxit — paullo serius credo — urbem incolis vacuam.[16])

Fuit Delus: numquam postea, ne dicam pristinam prosperitatem, sed ne speciem quidem eius recuperavit. Atque documento est titulorum repertorum maxima raritas: plures enim ex piratarum vastatione supersunt scripti paucis illis inter bellum primum et secundum Mithridaticum annis, quam reliqui sunt e quadra-

---

[11]) Ibid. VIII, p. 145 et XI, p. 269. [12]) Ibid. XI, p. 270.

[13]) C. I. G. 2285 b; cfr. etiam Bull. d. Corr. Hell. V, p. 462.

[14]) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 144 et 146. [15]) Cic. in Verr. I, 17, 18. [16]) Phleg. Trall. frg. 12 (Phot. cod. 97) in C. Muelleri Fragm. Hist. Graec. III, p. 606.

ginta annis inde ab illo tempore usque ad pugnam Actiacam, per quos pace et quiete insula usa est. Ac nescio an maioris etiam momenti sit, quod nulla fit in his titulis Romanorum aliorumque peregrinorum ac ne Atheniensium quidem insulam incolentium mentio: duobus tantummodo exceptis, quorum unus in C. Triarii est honorem positus a Milesiorum militibus classicis,[17] alter in honorem Fabii Hadriani, item legati L. Luculli, a Meliis quibusdam;[18] ceteri omnes dicati sunt a populo Atheniensium (eorum videlicet, qui in Attica habitabant). Quorum duo praeter ceteros memoratu digni sunt: unus exstat in basi statuae Cn. Pompeio Magno Imp. positae,[19] alter exhibet nomen C. Iulii Caesaris, Pont. Max., Imp., Cos. II — post pugnam igitur ad Pharsalum factam est lapidi incisus.[20] In hoc solo mentio fit etiam epimeletae insulae atheniensis — Agathostrati Dionysii f. Pallenensis. Quibus titulis duobus nuper ab Homollio inventis tertium adiungo iam pridem cognitum, ubi nomen servatum est Stratonicae regis Cappadociae Ariobarzanis III filiae.[21]

Opinioni meae, titulos omnes ad tempus hoc pertinentes esse dicatos a populo Atheniensium, non a cleruchis aliisque Deli insulae incolis, obstare videntur tituli aliquot, quos huc rettulit Homollius, ubi scripta legitur formula olim usitatissima: *Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων οἱ ἐνοικοῦντες* etc.; sed causas, quibus permotus hoc fecit vir ille doctissimus, probare non possum, cum maxime sint dubiae. Leguntur enim in titulis his *ἐπιμελητῶν* Deli duorum nomina — Nicanoris Nicanoris f. Leuconoensis[22] et Zenonis Zenonis f. Marathonii,[23] quorum priorem, cum magistratu sit functus Apollodoro archonte, una cum hoc refert Homollius ad medium fere saeculum primum, alterum — Zenonem — asseverat fuisse eundem atque archontem anni 54 a. Chr. n.:[24] hoc facillimum est ad refutandum, cum sit nomen tam frequens, ut in archontum catalogi frustulo falso in Corp. Inscr. Attic. volumen tertium[25] relato bis inveniatur (quorum neutrum esse Zenonem nostrum superiorum archontum nominibus demonstratur), ac quater occurrat in titulis

---

17) Bull. d. Corr. Hell. XI, p. 265. 18) Ibid. XI, p. 268.
19) Ibid. VIII, p. 148. 20) Ibid. VIII, p. 153. 21) C. I. G. 2280.
22) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 146 et 156. 23) Ibid. VIII, p. 175.
24) C. I. A. III, 1015. 25) C. I. A. III, 1014.

deliacis, si illos tantum numeramus, qui item Zenonis filii appellantur[26]) — quam parva igitur coniecturae probabilitas! Apollodorus autem archon, cum de ipsius anno nihil constet, nisi inter 86 et 48 magistratu eum esse functum, vix potest ad alius magistratus tempus definiendum adhiberi, Nicanorem vero Nicanoris f. Leuconoensem invenisse mihi visus sum in catalogo *τῶν ἐφηβευσάντων ἐπὶ Μενοίτου ἄρχοντος*,[27]) qui certe ante saeculi secundi exitum munus obiit — non potuit igitur Nicanor sexaginta annis post epimeletae munere fungi. Forsitan obiciat mihi quispiam decreta et edicta aliquot, quae ab Iosepho Flavio servata Caesaris dictatoris tempore facta dicuntur in honorem Iudaeorum Delum insulam incolentium[28]) — satis multi videlicet erant, si edictis propriis digni habebantur neque certe uni ex peregrinis in insula remanserant! At iam demonstravit Reinachius[29]) unum tale decretum »describentis videlicet neglegentia esse ad falsum tempus delatum«, cum homines ibi commemorati plus iam saeculo mortui essent: itaque magnopere vereor, ne tanta fuerit hominis neglegentia, ut omnia decreta, quae ei ad rem videbantur pertinere, congereret temporibus non accurate distinctis. Quamobrem in sententia mea, dum novis titulis inventis refelletur, perseverabo, quae huiusmodi est: 1) titulos omnes, quos dicaverunt *Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων οἱ ἐν τῇ νήσῳ ἐνοικοῦντες* etc., scriptos esse, antequam insula a piratis devastata incolisque fere orbata est (ante 69 a. Chr. n.); 2) inde ab hoc tempore usque ad Augusti aetatem, cum deserta fere insula esset (quamvis *ἐπιμελητὴς* in eam mitteretur), raras quasdam statuas positas esse tantum populi Atheniensium (in Attica habitantium) nomine; 3) dedicationes, quas fecisse dicitur *ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων καὶ οἱ τὴν νῆσον οἰκοῦντες*, referendas esse ad aetatem imperatorum romanorum inde a pugna Actiaca. Extremum hoc, quoniam ad id tempus spectat, de quo nondum sum locutus, etiam demonstrandum est; atque ad certum quidem perduci non potest, sed maxime est verisimile, cum inter titulos sat multos formulam hanc exhibentes duo vel tres tantum inveniantur, de quibus dubitare

26) Lebègue »Recherches« etc. no. 9; Bull. d. Corr. Hell. VI, p. 347; XI, p. 262. 27) C. I. A. II, 465, lin. 66. 28) Ioseph. Antiq. Iud. XIV, 8, 5. 29) Rev. archéolog. 1883: pagina mihi praesto non est, cum ectypum separatim expressum in manibus habuerim.

liceat — aut laceri sunt aut ad homines attinent prorsus ignotos[30]) —, nullus autem, quem necesse sit ad prius tempus referre.

Numerum quidem solum titulorum si respexeris, qui Augusti aetati adscribendi sunt, credes fortasse Delum insulam partem quandam pristinae prosperitatis recuperasse — sunt enim non pauci, ut modo dixi; nomina vero ibi occurrentia si perlustraveris, statim errasse te intelleges: praeter principem enim ipsum eiusque familiam, quippe quibus vel in desertis plane locis statuae positae sint, paucos admodum appellatos videbis, privatum hominem fere nullum. Ut breviter enumerem (privatis omissis), quibus sint dicatae, commemorantur hi: Augustus ipse, cui quattuor minimum statuas positas novimus,[31]) filia eius Iulia[32]) et gener M. Agrippa, qui ab Areopago est statua honoratus,[33]) nepos (C. aut L.?) Caesar[34]) et L. Aemilius Paullus Paulli f. Lepidus.[35]) Quibus adiungam, quamvis sit fortasse post Augusti mortem statua honoratus, Herodem Antipam,[36]) Galilaeae illum tetrarcham (4 a. Chr. — 38 p. Chr. n.). E privatis hominibus solus est dignus, qui nominetur, Pammenes Zenonis f. Marathonius, Apollinis sacerdos.[37]) Eius nomen exstat etiam in titulis in honorem Iuliae, Agrippae, Lepidi scriptis, cum eorum statuae positae dicantur tempore eius sacerdotii, id quod minime est mirum: fuit enim *ἱερεὺς Ἀπόλλωνος διὰ βίου*.[38]) Quodsi reputamus vix hominem quemquam inveniri potuisse, praesertim nobilem et alicuius in republica auctoritatis,

---

30) Q. Hortensius, Q. f.: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 159; Minucia M. Minucii f.: ibid. VIII, p. 154; L . . . . Flamma: ibid. III, p. 160; Va . . . . . . ellus: C. I. G. 2283 d add.

31) C. I. G. 2282, 2283, 2283 b; Bull. d. Corr. Hell. III, p. 162.

32) Bull. d. Corr. Hell. II, p. 399. 33) Ibid. VIII, p. 155.

34) Ibid. VIII, p. 154. 35) Natus e Cornelia Scriboniae (quae postea Augusto nupsit et Iuliae mater fuit) filia, uxorem duxit Iuliam, neptem Augusti, Agrippae Iuliaeque filiam: qua de genealogia cfr. Theodor. Mommsen. römische Eigennamen, p. 191. Deli occurrit eius nomen in titulis duobus: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 153 et VIII, p. 137; alter admodum est mutilus nomenque Lepidi coniectura mea restitutum, cum scriptum exstet: v. 2 — — — *ΛΙΙΟΝ ΠΑΥ*, v. 3 [*στρατηγὸ*]*ν ὕπατον*.

36) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 365. 37) Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 156.

38) Hoc ipso nomine appellatur in basi statuae M. Agrippae positae: Bull. d. Corr. Hell. VIII, p. 155.

qui se per totum vitae tempus in insula deserta paene includi pateretur, nescio an colligi inde possit sacerdotis Apollinis munus iam fere ad titulum honorarium fuisse redactum, quo ornarentur cives bene meriti: non nego quidem interdum eum sacrificia Apollini facienda curavisse, cum cognitum habeamus quotannis etiam hoc tempore publice curatores esse in insulam missos;[39]) sed magnopere assevero fieri non potuisse, quod certe olim muneris eius erat, ut per totum sacerdotii tempus Deli habitaret, praesertim cum Pammenes hic non solum *στρατηγὸς ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας* esset, sed etiam Romae et Augusti sacerdos, quibus muneribus Athenis detinebatur.[40]) Hic etiam moneo nullum exstare titulum post bella Mithridatica scriptum, in quo deorum peregrinorum fiat mentio vel tenuissima: Apollo, ut solus quondam insulam sacram possederat, solus etiam per varios fortunae casus permansit, reliquos omnes *ἀνηρείψαντο θύελλαι.*

Unum praeterea novimus Imperatoris Neronis tempore sacerdotem Apollinis atque eundem *ἐπιμελητὴν Δήλου διὰ βίου* — Tiberium Claudium Novium, qui et statuam procuratori cuidam Caesaris dicavit[41]) et ipse una cum uxore Damosthenia statuis honoratus est a »populo Atheniensium eisque qui sacram Delum incolebant«.[42]) In hunc magis etiam cadit, quod de Pammene modo dixi: videmus virum esse electum et Apollinis sacerdotem et insulae curatorem atque *διὰ βίου*, qui neque habitare ibi posset neque officiis suis fungi, cum esset eodem tempore constitutus Athenarum *ἐπιμελητὴς διὰ βίου.*[43]) Itaque sacra Delus et sacerdote et curatore carebat, quia vix quisquam ibi vel hoc vel illo egebat.

Properat iam oratio ad exitum. Unus exstat titulus posteriori tempori adscribendus, in quo legitur Titi Caesaris Augusti nomen

---

[39]) In basibus statuarum L. Aemilio Lepido, Herodi, Pammeni positarum scriptum exstat *ἐπὶ ἐπιμελητοῦ τοῦ δεῖνα* atque, quamquam sunt nomina curatorum horum quam maxime pessumdata, tamen satis est reliquum, ut asseverare possimus diversos tres fuisse: Bull. d. Corr. Hell. III, p. 153 et 369; VIII, p. 156. [40]) C. I. A. III, 63. Ceterum quam magna usus sit auctoritate, demonstrat titulus, item Deli repertus (Bull. d. Corr. Hell. III, p. 156), in quo de viro quodam praedicatur fuisse eum *ἐκ τοῦ γένους τοῦ Παμμένους τοῦ Ζήνωνος Μαραθωνίου.*

[41]) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 160. [42]) Ibid. II, p. 400 et III p. 161.

[43]) C. I. A. III, 457. 613. 652 et inprimis 1085.

— est ultimus.[44]) Dimidio fere saeculo post tradit Pausanias Delum totam esse desertam excepto praesidio, quod Athenienses in insulam mittere consueverant, neque causa est, cur de hoc testimonio dubitemus.[45]) Certe ne in Hadriani quidem honorem, qui tot beneficiis Athenienses affecerat tantisque ab iis rursus est honoribus ornatus, Deli statuam ullam novimus positam et, quod maioris fortasse est momenti (possunt enim tituli iniuria temporis esse deleti), inter tot in Herodem Atticum collata munera honorifica neque sacerdotis Apollinis neque *ἐπιμελητοῦ* Deli commemoratur: nimirum aut non iam exstabant aut nullius erant auctoritatis, ut dedignarentur viri nobiles ea expetere[46]). Quin etiam traditum est ipso hoc tempore Athenienses vendere insulam, quam quondam summo studio exoptaverant, consilium cepisse, sed emptorem non invenisse.[47])

At taedet iam pauca, quae apud scriptores exstant vestigia Deli insulae, conquirere, et collecta iam sunt a Gilbertio et Lebegio.[48]) Commemoro tantummodo sacrificium, quod ad bellum Persicum proficiscens Deli ut aliis quoque in templis fecisse deis Imperator Iulianus Apostata dicitur. Ultimum est signum antiquae religionis ad interitum ruentis, ultimum sacrificium Apollini in sacra eius insula factum.[49]) Mortuis deis, qui quondam eam incoluerant et tutati erant, Delus ipsa in oblivionem venit hominum, nisi quod ecclesiastici scriptores, Tertullianus praeter ceteros, interdum eius mentionem faciunt, ut exsultantes gaudio afferant carmina a Sibylla edita: *ἔσται καὶ Σάμος ἄμμος, ἐσεῖται καὶ Δῆλος ἄδηλος.*[50])

---

44) Bull. d. Corr. Hell. III, p. 162.

45) Pausan. VIII, 33, 2: *ἡ Δῆλος δὲ ἀφελόντι τοὺς ἀφικνουμένους παρ' Ἀθηναίων εἰς τοῦ ἱεροῦ τὴν φρουράν, Δηλίων γε ἕνεκα ἔρημός ἐστιν ἀνθρώπων*; quae verba frustra expedire conati sunt, cum dicerent Pausaniam pristinos ac veros Delios (ab Atheniensibus pulsos) in mente habuisse, non cleruchos atticos illuc missos, affirmare igitur eum insulam esse orbatam Deliis exceptis Atheniensibus (!) — nolim vel Pausaniam tanta iniuria afficere, ut hoc tam inepte eum excogitasse credam.

46) Notus est Apollinis sacerdos *διὰ βίου* quidam Musonius Rufus (C. I. A. III, 1293), qui idem fuisse videtur atque ephebus huius nominis in titulo Fl. Alcibiade archonte (140/41 aut 141/42 p. Chr. n.) scripto (C. I. A. III, 1112, lin. 33). 47) Philostrat. vit. sophist. I, 23.

48) Gilbert »Deliaca« p. 52—54; Lebègue »Recherches sur Délos« p. 325—328. 49) Theodoret., Hist. Ecclesiast. II, 21. 50) Tertullian. 8, p. 717: et hunc Tertulliani et illum Theodoreti locum Gilbertio debeo.

In hac vaticinatione, cuius veritas eo non infringitur, quod post eventum videlicet est ficta, finem facere possim Deli insulae vices persequendi; malo tamen afferre quaedam iucundiora Alphei Mitylenensis carmina:

Λητοῦς ὠδίνων ἱερὴ τροφέ, τὴν ἀσάλευτον
Αἰγαίῳ Κρονίδης ὡρμίσατ' ἐν πελάγει,
οὐ νύ σε δειλαίην, μὰ τεούς, δέσποινα βοήσω,
δαίμονας, οὐδὲ λόγοις ἕψομαι Ἀντιπάτρου.
ὀλβίζω δ' ὅτι Φοῖβον ἐδέξαο καὶ μετ' Ὄλυμπον
Ἄρτεμις οὐκ ἄλλην ἤ σε λέγει πατρίδα.

Antholog. Palat. II, 100.

APPENDIX I.

Catalogus archontum atheniensium in titulis deliacis occurrentium, additis locis, ubi in titulis atticis appellantur.

Anthesterius (C. I. A. II, 445).
Apollodorus (C. I. A. II, 481, vers. 67).
Archon (ignotus adhuc).
Aristaechmus (in titulis atticis non occurrit, sed appellatur in academicorum philosophorum indice herculanensi, XXXIII, 3).
Aristarchus (C. I. A. II, 470, vers. 5).
Aristolas (C. I. A. II, 444, vers. 4; 975).
Callistratus (C. I. A. II, 406).
Diocles (C. I. A. II, 630; fortasse etiam II, 839 et 859).
Dionysius *ὁ μετὰ Λυκίσκον* (C. I. A. III, 1014).
Dionysius simpliciter appellatus (fortasse *ὁ μετὰ Παράμονον*: C.I.A.II, 475 vel *ὁ μετὰ ----ην*: C. I. A. II, 418).
Diotimus (C. I. A. III, 1014 et 102^b).
Iason (C.I.A. II, 460; III, 1014; Iason *ὁ μετὰ Πολύκλειτον*: C.I.A. II, 461).
Isigenes (C. I. A. III, 1014).
Lyciscus (C. I. A. III, 1014).
Menoetes (C. I. A. II, 465).
Meton, Nausias (nisi in titulis deliacis non appellantur).
Paramonus (C. I. A. II, 475).
Pelops (C. I. A. II, 477^b).
Phaedrias (C. I. A. II, 446).
Polyclitus (C. I. A. III, 88).
Posidonius (C. I. A. II, 975; fortasse etiam III, 227).
Procles (C. I. A. II, 985).
Sarapion (C. I. A. II, 465 et 595).
Theocles (*Ἐφ. ἀρχ.* 1883, 245).
Theodorides (C. I. A. III, 1014).
Zaleucus (adhuc ignotus).
Zenon (C. I. A. III, 1015 aut 1014).

APPENDIX II.

Catalogi cleruchiae deliacae magistratuum, sacerdotum, ministrorum variorum.

Epimeletae.

Agathostratus Dionysii f. Pallenensis: BdCH. VIII, p. 153.
(statuam ponendam curavit C. Jul. Caesari a. 48 a. Chr. n.).

Alexander Leonidae f.: CIG. 2306[b] add.

Alexander Polycliti f. Phlyasius: CIG. 2287.
(archonte Zenone).

Aminias Demetrii f.[1]): Ἀθ. IV, 462 (no. 16); BdCH. VI, p. 348.
(archonte Aristarcho).

Ammonius Ammonii f. Anaphlystius β′: Ἀθ. IV, p. 459; BdCH. VI, p. 334.

Andreas Andreae f. Piraeensis[2]): BdCH. VI, p. 497.

Apollodorus Philonymi f. Deceleensis: CIG. 2306.

Aristion Isocratis (?) f. Oeensis[3]): Lebègue, no. 8; CIA. II, 985 (?).
(archonte Argaeo iterum?).

Callimachus Epicratis f. Leuconoensis[4]): BdCH. VI, p. 346.

Callistratus: CIA. II, 985.
(archonte Medeo).

Dionysius Demetrii f. Anaphlystius: CIG. 2298.

Dionysius Niconis f. Pallenensis[5]): BdCH. II, 397; III, p. 471; VI, p. 337, 491, 494; IX, p. 379; XI, p. 273.
(archonte Polyclito).

---

[1]) In alius locum est suffectus, cuius nomen bis in titulis est erasum.

[2]) Functus est munere praeconis Areopagitarum Heraclito archonte (95/94 a. Chr. n): CIA. II, 985 fragm. E, col. II, vers. 30—31.

[3]) Nomen eius ex coniectura restitui in CIA. II, 985, fragm. C, vers. 8, cum scriptum exstet modo . . . . ἐξ Οἴου; sed certe idem homo fuit ἐπιμελητὴς ἐμπορίου Medeo archonte (100/99 a. Chr. n.): CIA. II, 985, fragm. E, col. I, vers. 34—35.

[4]) Functus est munere archontis regis anno, quo Theodosius archon fuit eponymus (99/98): CIA. II, 985, fragm. A, vers. 8.

[5]) Cfr. CIA. II, 404, vers. 33. Fuit sine dubio ἐπιμελητὴς τοῦ ἐμ Πειραιεῖ λιμένος archonte Theodosio (99/98 a. Chr. n.): CIA. II, 985, fragm. E, col. I, vers. 67—68.

Dracon Ophelae f. Batensis[6]): BdCH. I, p. 88 (Cyriac.); VI. p. 491.
(archonte Dionysio).

Epigenes Dii f. Melitensis[7]): BdCH. IV, p. 220; XI, p. 263.

Eurystias Zaleuci f. Lusiensis: BdCH. VIII, p. 156.
(aetate Augusti).

Hegesias Philostrati f. Thymaetades: BdCH. VII, p. 337.

Hipparchus Timoclis f. Suniensis: BdCH. VII, p. 339.

Leon? BdCH. VI, p. 493.

Medeus Medei f. Piraeensis[8]): BdCH. IV, p. 190; VII, p. 12;
(archonte Argaeo primum). CIA. II, 985.

Nicanor Nicanoris f. Leuconoensis[9]): BdCH. III, p. 151, 156, 376.
(archonte Apollodoro).

Polyclitus Alexandri f. Phlyasius[10]): BdCH. VIII, p. 126; X, p. 36.
(archonte Procle).

Protimus Dosithei f. ἐκ Μυῤῥινούττης[11]): BdCH. III, 158; VIII, 150.

---

6) De huius viri familia cfr. quae Koehler disseruit in CIA. II, 1, p. 223, ubi stemma quoque proposuit: avus eius Habron appellatur in proxenis Delphicis a. 189/88 a. Chr. n. (Dittenberg. SIG. No. 198, vers. 106), ipse in Theseis victoria potitus est archonte Anthesterio (163 a. Chr. n.): CIA. II, 445, col. II, vers. 40.

7) Epigenes Dii f. appellatur quidem inter ephebos ἐπὶ Ἀπολλοδώρου ἄρχοντος (CIA. II, 481, col. II, vers. 89), sed magnopere dubito, an non idem fuerit, cum ἐπιμελητεία eius propter Hephaestionis Myronis f., a quo statua eius est facta, aetatem ad exitum saeculi secundi vel primi initium videatur referenda: ceterum Dius quidam inter ephebos appellatur Cecropidis phylae, qui vicerunt Theseis archonte Anthesterio (163/162 a. Chr. n.): CIA. II, 445, col. II, vers. 61—65.

8) De hoc viro nobilissimo cfr. Ps.-Plut. vit. X orat. 842; hoc ipso anno Argaei archontis (97/96 a. Chr. n.) fuit etiam ὁ ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν τὴν ἐν Δήλῳ et agonotheta cum Panathenaeorum, tum Deliorum (CIA. II, 985); paucis ante annis (100/99) est archontis munere functus atque postea etiam tres annos continuos eundem honorem administravit ante ἀναρχίαν tempore belli Mithridatici Athenis factam (CIA. III, 1014).

9) Nominatur inter ephebos archonte Menoete (CIA. II, 465, vers. 66).

10) Aut pater aut filius epimeletae Alexandri Polycliti f., qui munere functus est archonte Zenone.

11) Dositheus ἐκ Μυῤῥινούττης, pater aut filius epimeletae nostri, appellatur in thesmothetarum numero archonte Theodosio (99/98): CIA. II, 985, fragm. A, vers. 11.

Quintus Azeniensis: Lebègue no. 1.
Sarapion Sarapionis f. Melitensis[12]): CIA. II, 985.
(archonte Theodosio)
Socrates Aristionis f. Oeensis[13]): BdCH VII, p. 368.
(archonte Menoete).
Theodotus Diodori f. Suniensis[14]): BdCH. VII, 364; CIA. II, 985 (?).
(archonte Echecrate).
Theophrastus Heracliti f. Acharnensis[15]): CIG. 2286; BdCH. VII, p. 370; VIII, p. 123; XI, p. 257.
(archonte Diotimo).
Xenon Asclepiadis f. Phlyasius[16]): BdCH. III, p. 370; VI, p. 320.

---

12) Vir nobilissimus fueritne idem atque archon huius nominis, diiudicari non quit, sed potius ad eam inclino sententiam, ut illius filium putem; quod certum est, cum archontis Serapionis (ut vulgo scribitur) annus satis magno temporis spatio interiecto exitum saeculi secundi antecedat, epimeleta noster primis insequentis annis maxima in civitate auctoritate floruisse videtur: nam et στρατηγὸς ἐπὶ τὰ ὅπλα fuit bis, archontibus Echecrate (101/100 a. Chr. n.) Argaeoque iterum (96/95) et uno eodemque anno ἀγωνοθέτης Eleusiniorum, Panathenaeorum, Deliorum atque quarti etiam cuiusdam festi (CIA. II. 985, fr. D).

13) Populi decreta duo rogavit Lenaeo archonte: CIA. II, 469, vers. 4 et 52.

14) Nomen huius viri iure suo Reinachius restituit in decreto populi atheniensis apud Ioseph. Antiq. Iud. XIV, 8, 5: legitur enim in duobus decretis Agathocle archonte ab eo ipso rogatis (CIA. II, 470. vers. 5 et 33). Idem functus est Deli sacerdotio deae Syriae. Quod vero ἐπιμελησίαν eius ad Echecratis archontis annum (101/100) rettuli, meo periculo id feci, cum in tituli CIA. II, 985, fragm. D. (col. I, vers. 30) scriptum exstet: . . . . τος Σουνιεύς; sed certe huic tempori est adscribendus ob dedicationem quandam sacerdotis Cabirorum Helianactis ipso eius anno factam.

15) Saepissime appellatur in titulis deliacis plurimasque novimus statuas ei positas a cleruchis romanisque negotiatoribus cum ob alia eius merita, tum inprimis quod et forum et portum κατεσκεύασεν. De aetate eius nihil dici potest, nisi potitum eum esse victoriis duabus Theseis archonte Phaedria (CIA. II, 446, col. II, vers. 78), qui cum quadam probabilitatis specie ad a. 160—150 referri potest.

16) Huius familia satis est nota e titulis in Attica repertis aliquot: in CIA. II, 334, fragm. D., col. III, vers. 13—14 appellatur Xenon Asclepiadis f. et ibidem, vers. 15—16 Asclepiades Xenonis f. Phlyasii — nostri avus et pater sine dubio; ipse (?) duo decreta rogavit archonte

Zenon Zenonis f. Marathonius: BdCH. VIII, p. 175.
. . . dorus Zenonis f. Athmonensis: CIG. 2288.
. . . . . son Hermocratis f. De(celeensis?): CIG. 2293.
. . . . . e . us Diodoti f. Marathonius: BdCH. III, p. 375.
. . . . Apollonii f. M . . . . . .: BdCH. III, p. 365.
(statuam ponendam curavit Herodae Antipae Herodis Magni f.).
. . . . n Marci f. Philaides: BdCH. III, p. 153.
(statuam ponendam curavit L. Aemilio Paullo Paulli f. Lepido).
. . . . Paeaniensis: BdCH. VI, p. 322.

Οἱ ἐπὶ τὰ ἱερά.

Damon Philoclis f. Icariensis[17]). Apollophanes Neocori f. Hermius.	CIG. 2306[b] add. (epimeleta Alexandro Leonidae f.).
Demetrius Rhodippi f. Phalereus. Nausistratus (Nausi?)cratis f. ἐκ Κεραμέων.	BdCH. VI, p. 491. (epimeleta Dionysio Niconis f.).
Dinias Pallenensis. Philemon.	CIA. II, 985. (epimeleta Callistrato).
Diophantus Aristoclis f. Marathonius[18]). Theocharis Hestiaei f. ἐκ Κεραμέων[19]).	BdCH. VIII, p. 126. (epimeleta Polyclito Alexandri f.).

Zopyro: CIA. II, 420, vers. 8 et 34; fratrem denique eius puto Apollophanem illum Asclepiadis f. Phlyasium, qui inter ephebos appellatur archonte Menocte: CIA. II, 465, col. III. vers. 74.

17) Fuit gymnasiarchus deliaci gymnasii archonte Heraclito (95/94 a. Chr. n.): CIA. II, 985, fragm. E, col. II, vers. 53—54.

18) Variis functus est sacerdotiis Deli, Iovis Cynthii (Lebègue No. 3), ἁγνῆς θεοῦ (Veneris Syriae) anno ante Echecratem archontem (102/1), deinde quodam alio (fortasse Sarapidis) archonte Argaeo iterum (96/95), fuit unus τῶν ἐπὶ τὰ ἱερὰ archonte Procle (98/97 a. Chr. n.).

19) Cosmetae munere est functus archonte Hipparcho (CIA. II, 469, vers. 52) et praeconis Areopagitarum archonte Medeo (CIA. II, 985, fragm. E, col. I, vers. 27); in ἀπαρχῶν tabula archonte Theodosio (99/98) occurrit στρατηγὸς ἐπὶ τὰ ὅπλα Ἑστιαῖος ἐκ Κεραμέων (CIA. 985, fragm. E, col. I, vers. 61—62), cuius nomen paternum [Ἐπιχ]άριδος a Koehlero est restitutum, quod equidem in [Θεοχ]άριδος commutaverim, ut fuerit praetor hic atheniensis filius magistratus deliaci nostri.

Hestiaeus Hestiaei f. Sphettius. Archicles Archiclis f. Laciades.	BdCH. VII, p. 337. (epimeleta Hegesia Philostrati f.).
Phaennus Dionis f. Oenaeus. Demetrius Demetrii f. Tricorysius[20].	CIG. 2306. (epimeleta Apollodoro Philonymi f.).
Sosicrates Thriasius. Iason Ἀλωπεκῆθεν.	Ἀθ. IV, p. 462 (no. 16); BdCH. VI, p. 348. (epimeleta Aminia Demetrii f.).

Οἱ ἐπὶ τὴν φυλακὴν τῶν ἱερῶν χρημάτων.

Diophantus Hecataei f. Hermius. Theodorus Stratonis f. Marathonius.	BdCH. IV, p. 185. (archonte Callistrato).
Theotimus Aexonensis. Xenocles Rhamnusius[21].	CIA. II, 985. (anno ante archontem Echecratem).
. . . . mocritus Acharnensis. . . . . s Suniensis.	CIA. II, 985. (archonte Echecrate).
. . . . Ἑστιαιόθεν . . . . Αἰθαλίδης	CIA. II, 985. (archonte Argaeo iterum).

Οἱ ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν τὴν ἐν Δήλῳ.

Medeus Medei f. Piraeensis: CIA. II, 985.
(archonte Argaeo, cum ipse epimeleta quoque erat).

(Byttac)us Pyrrhi f. Lamptrensis[22]: CIA. II, 985
(archonte Heraclito).

Diogenes A . . . . f.: BdCH. IV, p. 221.

---

[20]) Ephebus huius nominis appellatur archonte Apollodoro (CIA. II, 481, fragm. W, vers. 2), sed idem atque magistratus noster esse non potest, fortasse filius eius, sed ne hoc quidem in tanta nominis Demetrii frequentia asseverare audeam.

[21]) Tribus annis post archonte Theodosio (99/98) inter thesmothetas fuit: CIA. II, 985, fragm. A, vers. 14.

[22]) Huius hominis nomen ex coniectura restitutum est, cum occurrat in eodem titulo (fragm. E, col. 1, vers. 11) Byttacus quidam Lamptrensis, qui ἐπιμελητὴς τοῦ ἐμ Πειραιεῖ λιμένος fuisse dicitur archonte Echecrate.

Ἀγορανόμοι.

Serambus Heraippi f. Hermius. Sotades Sotadis f. Aegiliensis[23]. Gorgias Asclepiadis f. Ἰωνίδης. cum scriba: Menecle Aeschronis f. Halaeensi.	BdCH. X, p. 33. (archonte Zaleuco).
.... ius ἐκ Κεραμέων. Alexander.	CIA. II, 985. (archonte Medeo).

..... sias Suniensis: CIA. II, 985.
(anno ante archontem Echecratem).

.... Xypetaeensis: CIA. II, 985.
(archonte Argaeo iterum).

Gymnasiarchi.

Damon Icariensis[24]): CIA. II, 985.
(archonte Heraclito).

Dionysius Nestorionis f.: CIG. 2277[a].
(statuam posuit Mithridati VI Eupatori).

Dionysodorus Δειραδιώτης: CIA. II, 985.
(archonte Medeo).

Dioscurides Dioscuridis f. Rhamnusius: CIG. 2279.
(statuam posuit Nicomedi pronepoti Nicomedis II Epiphanis).

Metrodorus Cydatheniensis: CIA. II, 985.
(anno ante archontem Echecratem).

Nicanor (Nicanoris f.?) Leuconoensis[25]): BdCH. III, p. 376.
(archonte Apollodoro).

---

23) Pater aut frater videtur fuisse sacerdotis Iovis Cynthii Sarapionis Sotadis f. Aegiliensis (Lebègue, No. 10).

24) Functus est etiam munere duumviri ἐπὶ τὰ ἱερὰ epimeleta Alexandro Leonidae f.

25) Aut filius est epimeletae huius nominis notissimi, qui munere suo fungebatur ipso hoc anno (Apollodoro archonte), aut ille ipse (quod mihi quidem minus probabile videtur), ut uno eodemque tempore et epimeleta et gymnasiarchus fuerit.

Seleucus Marathonius: CIG. 2276.
(statuam posuit Mithridati V Euergetae).

. . . . Gerostrati f.[26]): BdCH. IV, p. 188.
(archonte Diocle).

Sacerdotes

Apollinis.

Ammonius Ammonii f. Pambotades: BdCH. V, p. 463; CIA. II, 985.
(anno ante archontem Echecratem).

Anticrates Epicephisius[27]): CIA. II, 985.
(archonte Medeo).

Apollodorus: BdCH. III, p. 368.

Areus Arei f. Cephisiensis: BdCH. VII, p. 337.
(epimeleta Hegesia Philostrati f.)

Demetrius Demetrii f. Anaphlystius[28]): CIA. II, 985.
(archonte Theodosio).

Dionysius Hierasimi f.: BdCH. I, p. 87 (Cyriac.).

Sosicles Soclis f. Coelensis: BdCH. VII, p. 370.
(archonte Diotimo).

διὰ βίου.

Pammenes Zenonis f. Marathonius[29]): BdCH. II, p 399; III, p. 153 et 156; VIII, p. 154—156.
(aetate Augusti).

Tiberius Claudius Novius[30]): BdCH. II, p. 400; III, p. 160 et 161.
(aetate Imp. Neronis Claudii).

Musonius Rufus[31]): CIA. III, 1298.
(aetate Imp. Antonini Pii vel M Aurelii).

---

26) Cliduchum quendam novimus Posidonium, qui item Gerostrati f. appellatur, cuius rei mentionem facio tantummodo propter nomen paternum minus usitatum.

27) Idem fuit polemarchus archonte Heraclito (95/94): CIA. II, 985, fragm. E, col. II, vers. 34.

28) Saepissime appellatur Sarapidis sacerdos, quo munere est functus epimeleta Dionysio Demetrii f. item Anaphlystio, ut credere licet, fratre ipsius, et occurrit etiam in catalogo Sarapidis sacerdotum ab Hauvettio invento (BdCH. VI, p. 350).

29) Cfr. quae dixi in p. 221—222 cum nott. 37—40.

30) Cfr. de Tiberio Claudio Novio quae exposui in pag. 222 cum nott. 41—43 et titulum: CIA. III, 1085 praeter alios.

31) Cfr. de Musonio Rufo pag. 223, not. 46 et CIA. III, 1112 et 1298: in hoc titulo (catalogo quodam argumenti incerti) occurrit una (vers. 6)

Dianae *ἱέρειαι*.

Sosandra Sarapionis Melitensis f.[32]): BdCH. XI, p. 262.
? Philippe Medei Piraeensis f.[33]): BdCH. III, p. 379.

ὑφιέρειαι.

Stratonice . . . . . . Piraeensis f.[34]): BdCH. III, 380.
. . . . is: BdCH. III, p. 381.

Dianae-Hecatae (ἐν Νήσῳ).

Agathocles Ἀγκυλῆθεν:
(anno ante Echecratem archontem).
Marsyas Marsyae f. Melitensis:
(archonte Heraclito).
Philocles:
(archonte Medeo).
Theomnestus (Theogenis f. Cydatheniensis?)[35]):
(archonte Echecrate).
— CIA. II, 985.

Iovis Cynthii et Minervae Cynthiae.

Aristomachus: Lebègue, no. 1.
(epimeleta Quinto).
Ariston Platoris f. Cephisiensis: Lebègue, no. 2.
Charminus (aut Charmirus) Aenesiae f. Cicynnensis: Lebègue, no. 14 (et 15?).
Demetrius: CIA. II, 985.
(archonte Echecrate).
(Diopha?)ntus Arist(oclis f. Marathonius)[36]): Lebègue, no. 3.

---

nomen Leonidae Herodis f., cuius filius (aut pater?) Herodes Leonidae f. inter prytanes Pandionidis φυλῆς bis appellatur: a. 167 (CIA. III, 1029, vers. 30) et 171 p. Chr. n. (ibid. 1032, col. II, vers. 17).

32) De Sarapione Sarapionis f. Melitensi cfr. not. 12; Sosandra ipsa, si recte tituli lacunas explevi (p. 213, not. 159), etiam κανηφόρος fuit.

33) Dianae ἱερείας nomen ex coniectura indidi Philippae ad lacunas tituli explendas, in eius honorem a patre Medeo Medei f., viro nobilissimo, dicati (cfr. pag. 211, not. 147).

34) Stratonice haec etiam κανηφόρος Dianae fuit.

35) Theomnesti nomen paternum et demoticum ex coniectura restitui, quia eundem fuisse credo atque Sarapidis sacerdotem huius nominis.

36) Diophanti Aristoclis f. Marathonii nomen cum magna probabilitatis specie est ab Homollio restitutum, cum variis sacerdotiis et muneribus vir hic esset functus initio saeculi primi (cfr. not. 18); in eo tantum

Diophantus Parnasi f. Cephisiensis: Lebègue, no. 13.
Zenon Cephisiensis[37]): CIA. II, 985.
(anno ante Echecratem archontem).
Nicocrates Suniensis: Lebègue, no. 6.
Sarapion Sotadis f. Aegiliensis[38]): Lebègue, no. 10.
(archonte Procle).
Theobius Dionysii f. Acharnensis[39]): CIA. II, 985.
(archonte Heraclito).
. . . . Acharnensis: Lebègue, no. 8.
(epimeleta Aristione Isocratis f.).

Bacchi.

Asclepiades: CIA. II, 985.
(archonte Medeo).
Eubulus Demetrii f. Marathonius[40]): CIG. 2270.

Aesculapii.

Eubulus Demetrii f. Marathonius: CIG. 2270.

Anii.

Nymphodorus ἐκ Κεραμέων: CIA. II, 985.
(archonte Medeo).
Satyrion Call . . . . .: BdCH. XI, p. 273.
(archonte Polyclito).
Timon Scambonides: CIA. II, 985.
(anno ante Echecratem archontem).

---

viro doctissimo assentiri non possum, quod usus nominis Διόφαν[τος] reliquiis in CIA. II, 985, fragm. E, col. II, vers. 1 servatis sacerdotium hoc Iovis Cynthii ad annum Argaei iterum archontis rettulit: hoc enim anno scimus epimeleten Deli fuisse Aristionem ἐξ Οἴου, quo insulam curante sacerdos Iovis fuit Acharnensis quidam (Lebègue, No. 8).

37) Fortasse idem fuit atque vir huius nominis pagique, qui cliduchi Sarapidis functus est munere; sed Zenonis nomen tam frequens est, ut minime hoc asseverare audeam.

38) Frater vel pater eius Sotades Sotadis f. agoranomus fuit archonte Zaleuco.

39) Sacerdotiis variis est functus: Sarapidis archonte Medeo (100/99), Veneris Syriae archonte Argaeo iterum (96/95), postremo Iovis Cynthii insequenti anno.

40) Vir fuisse videtur alicuius auctoritatis in cleruchia deliaca, ut decretum demonstrat in honorem eius scriptum, ubi Bacchi, Aesculapii, Cabirorum bis fuisse sacerdos praedicatur.

Romae deae.

Demetrius Aexonensis: CIA. II, 985.
(archonte Medeo).

Demetrius Asclepi(a)dis f. Halaeensis: CIA. II, 985.
(archonte Heraclito).

Pythilaus Suniensis: CIA. II, 985.
(anno ante Echecratem archontem).

..... ion Agasiae f. Paeaniensis: BdCH. X, p. 34.
(archonte Lycisco).

Sarapidis.

Agasias Philoclis f. Colonensis[41]): BdCH. VI, p. 320.
(epimeleta Xenone Asclepiadis f.).

Apollodorus Apollodori f. Cropides: BdCH. VI, p. 346.

Aristion Eudoxi f. Melitensis[42]): BdCH. VI, p. 336, 339, 350.

Astias Astiae f.: BdCH. VI, p. 348.

Athenagoras Athenagorae f. Melitensis: BdCH. VI, p. 341, 348.

Athenagoras . . ελεν . . . Cephisiensis: BdCH. VI, p. 347.

Callistratus Eroeades[42a]): BdCH. VI, p. 350.

Calodryus (?): Ἀθ. IV, p. 457.

Cydenor Dionysii f. Melitensis: Ἀθ. IV, p. 458.

Demetrius Demetrii f. Anaphlystius[43]): CIG. 2298; BdCH. VI, p. 326, 350.
(epimeleta Dionysio Demetrii f.).

Demetrius Hermesionis f. Marathonius: Ἀθ. II, 134 (nò. 1).
(archonte Isigene)

Demosius Polycliti f. Alopecensis: CIG. 2293.
(epimeleta .... sone Hermocratis f.)

Dicaeus Dicaei f. Ionides: BdCH. VI, p. 329.

Diocles Dioclis f. Tyrmides[44]): CIG. 2300; BdCH. VI, p 340.

---

[41]) Forsitan fuerit frater Staseae Philoclis f., item Sarapidis sacerdotis notissimi.

[42]) Fuit polemarchus Argaeo primum archonte (97/96 a. Chr. n.): CIA. II, 985, fragm. D, col. II, vers. 20.

[42a]) Hi omnes occurrunt in catalogo Sarapidis sacerdotum ab Hauvettio publici iuris facto: BdCH. VI, p. 350.

[43]) Functus est Apollinis quoque sacerdotio Theodosio archonte (99/98): CIA. II, 985, fragm. E, col. I, vers. 70—72; occurrit etiam in catalogo Sarapidis sacerdotum.

[44]) Filium eius credo fuisse Menodorum Dioclis f. Tyrmiden, qui inter ephebos appellatur archonte Echecrate (101/100): CIA. II, 467, col. III, vers. 139.

Dionysius Dionysii f. Sphettius[45]): Ἀθ. II, p. 134 (no. 2 et 3);
BdCH. VI, p. 347 et 350.
Dionysius Meniae f. Paeaniensis: BdCH. VI, p. 317, 318, 334, 341.
Dionysius Zenonis f.: BdCH. VI, p. 322.
(archonte Iasone).
Euctaeus Euryptolemi f. Iteaeus: CIA. II, 985.
(archonte Heraclito).
Euthymachus Ergocharis f. ἐκ Κεραμέων[46]): Ἀθ. IV, p. 459; BdCH.
(epimeleta Ammonio Ammonii f.). VI, p. 334 et 335.
Gaius Gai f. Acharnensis[47]): CIG. 2295, BdCH. VI, p. 324, 339, 350.
(archonte Nausia).
Hipponicus Hipponici f. Phlyasius: BdCH. VII, p. 368.
(archonte Menoete).
Leon Agatharchi f. Marathonius: BdCH. VI, p. 324.
Lyciscus Pausaniae f. Acharnensis: BdCH. VI, p. 317.
Marcus Eleusinius: BdCH. VI, p. 342.
(aetate Ptolemaei Soteris II).
Neon Hermocratis f. Leuconoensis: BdCH. VI, p. 340.
Nicostratus Piraeensis[42a]): BdCH. VI, p. 350.
Philocrates (Philocratis f.?)[48]): BdCH. VI, p. 333.
Philoxenus Philoxeni f. Suniensis: BdCH. VII, p. 280.
Seleucus Andronici f. Rhamnusius[42a]): CIG. 2297 = BdCH. VI, p. 318;
p. 324, 339, 350.
Socles Aphrodisii f. Phlyasius: BdCH. VI, p. 326, 332.

---

[45]) Soror aut filia eius Νυμφὼ Veneris Syriae et Apollinis fuit κανηφόρος, cum sacerdotio deae Syriae fungebatur Philocles Zenonis f. Sphettius (BdCH. VII, p. 367—368) archonte Theodoride; ipse appellatur in catalogo Sarapidis sacerdotum.

[46]) Familia eius satis est nota: in CIA. II, 407 occurrit proedrorum princeps [Euthym]achus Ergocharis f. ἐκ Κεραμέων; in CIA. II, 450, vers. 10 inter Theseorum victores appellatur quidam . . . . . . ης Ergocharis f. phylae Acamantidis; postremo Echecrate archonte (101/100) inter ephebos invenimus nominatos Dionysium Ergocharis f. (fratrem fortasse minorem nostri) et . . . . . rum Euthymachi f. (filium eius?): CIA. II, 467, col. II, vers. 119—120.

[47]) Notissimus est Sarapidis (occurrit etiam in catalogo eorum) et Cabirorum sacerdos; quare non dubito, quin ἱερεὺς Γάιος, qui in ἀπαρχῶν tabula occurrit archonte Heraclito (95/94), sit idem habendus atque noster.

[48]) De Philocratis nomine paterno ex coniectura a me restituto cfr. not. 143 p. 210 additam.

Sosion Eumenis f. Oenaeus[42a]): CIG. 2299; BdCH. VI, p. 336—338 (archonte Polyclito, epimeleta Dionysio Niconis f.). et 350.

Staseas Philoclis f. Colonensis[49]): CIG. 2302.

Stratodamus Thoricius[42a]): BdCH. VI, p. 350.

Theobius Dionysii f. Acharnensis[50]): CIA. II, 985.
(archonte Medeo).

Theomnestus Theogenis f. Cydatheniensis[51]): BdCH. VI, p. 328, 500.

Zenon Dioscuridis f. Lamptrensis: BdCH. VI, p. 330.

A(thenagoras?) Cephisiensis: BdCH. VI, p. 322.

. . . . Philaides: BdCH. VI, p. 343.

. . . . us Phlyasius: BdCH. VI, 350.

(He?)racon: CIA. II, 985.
(anno ante Echecratem archontem).

A . . . .: CIA. II, 985.
(archonte Echecrate).

Ἁγνῆς θεοῦ Ἀφροδίτης Συρίας.

Aeschrion Aeschrionis f. Dionysii n. Melitensis[52]): Ἀθ. VI, p. 462 (bis).
(archonte Aristarcho, epimeleta Aminia Demetrii f.).

Aristonous Protarchi f. Sphettius: CIA. 985.
(archonte Medeo).

Demonicus Euremonis f. Anaphlystius: BdCH. VI, p. 489, 491, 494.
(archonte Polyclito).

Diophantus Aristoclis f. Marathonius[53]): Ἀθ. VI, p. 459 et 463; CIA. II, 985.
(anno ante Echecratem archontem).

Menelaus: BdCH. VI, p. 493.

---

49) Fratrem fuisse credo Agasiae Philoclis f. eiusdem pagi, qui item est Sarapidis sacerdotio functus. Iure suo Staseae nomen Homollius primo loco in catalogo Sarapidis sacerdotum restituit, nisi quod etiam de fratre eius cogitare licet.

50) De hoc viro, variis sacerdotiis functo, cfr. not. 39).

51) Fuit etiam Ἀρτέμιδος ἐν Νήσῳ sacerdos archonte Echecrate (101/100).

52) Duas familias novimus eiusdem pagi Melitensis, videlicet inter se cognatas, in quibus saepissime Aeschrionis nomen occurrit; unam, cui Veneris sacerdos noster est adnumerandus, alteram, ad quam pertinet Aeschrion Aeschrionis f. Eubuli n., pater Aeschrionis tertii inter Sarapidis cliduchos appellati.

53) De hoc viro cfr. quae dixi in nott. 18), 36), 62).

Nicostratus Demareti f. Lamptrensis[54]): 'Αθ. IV, p. 461.
Philocles Zenonis f. Sphettius[55]): BdCH. VI, p. 346; VII, 367.
(archonte Theo[cle] aut Theo[doride]).
Seleucus Acharnensis: BdCH. VI, p. 490.
Theobius Dionysii f. Acharnensis[56]): BdCH. VI, p. 492; CIA. II, 985.
(archonte Argaeo iterum).
Theodorus Theodori f. Aethalides: BdCH. VI, p. 491.
(archonte Dionysio, epimeleta Draconte Ophelae f.).
Zoilus Zoili f. Phlyasius: 'Αθ. IV, p. 461
Thea . . . .: CIA. II, 985.
(archonte Echecrate).

Atargatidis.

(quos sacerdotes non diversos puto a Veneris Syriae qui appellantur).

Achaeus Apollonii f. Hierapolitanus: BdCH. VI, p. 495.
(archonte Dionysio *μετὰ Λυκίσκον*).
Seleucus Zenodori f. Hierapolitanus: BdCH. VI, p. 496.
. . . . Apollonidis f. Hierapolitanus: BdCH. VI, p. 497.
Alexander Pamphili f.: BdCH. VI, p. 498.
Artemidorus: BdCH. VI, p. 499.
Sibillus Sosipatri f. Cephisiensis: BdCH. VI, p. 497.
(epimeleta Andrea Andreae f.).
Theodotus Diodori f. Suniensis[57]): BdCH. VI, p. 498.

Θεῶν Μεγάλων Διοσκούρων Καβείρων.

Ariston Aristonis f. Stiriensis: BdCH. VII, p. 340.
(archonte Metone).
Eubulus Demetrii f. Marathonius[58]): CIG. 2270.

---

54) Est orator, qui duo decreta ad ephebos pertinentia rogavit archonte Medeo (100/99): CIA. II, 467, vers. 4—5 et 70.

55) De hoc viro cfr. quae adnotavi ad nomen Dionysii Sphettii, Sarapidis sacerdotis in not. 45).

56) Fuit etiam Sarapidis et postea Iovis Cynthii sacerdos, cfr. not. 39).

57) Huius sacerdotium est ad exitum saeculi secundi referendum, siquidem recte Deli curatorem eum fuisse archonte Echecrate (101/100) conieci, fretus paucis nominis reliquiis in *ἀπαρχῶν* tabula servatis: qua de re cfr. not. 14).

58) Hoc sacerdotio bis est functus ac praeterea Bacchi Aesculapiique fuit sacerdos (cfr. not. 40) iam ante Aristaechmum archontem (primis scilicet temporibus cleruchiae deliacae).

Gaius Gai f. Acharnensis[59]): CIG. 2296.
(archonte Dionysio μετὰ Λυκίσκου).

Heraeus Apollodori f. Suniensis: BdCH. VII, p. 337.
(epimeleta Hegesia Philostrati f.).

. . . . Maniae f. Piraeensis: BdCH. VII, p. 339.
(epimeleta Hipparcho Timoclis f.).

διὰ βίου (Καβείρων καὶ Ποσειδῶνος Αἰσίου).

Helianax Asclepiodori f.[60]): BdCH. VII, p. 346—364.
(archonte Echecrate? epimeleta Theodoto Diodori f.: BdCH. VII, p. 364).

Incertorum deorum.

Athenagoras Dioclis f.: CIG. 2301.

Dionysogenes Anagyrasius[61]): CIA. II, 985.
(archonte Procle).

Diophantus (Aristoclis f. Marathonius)[62]): CIA. II, 985.
(archonte Argaeo iterum).

Gaius (Gai f. Acharnensis?)[63]): CIA. II, 985.
(archonte Heraclito).

Ἀγωνοθέται Δηλίων.

Medeus Medei f. Piraeensis.
Sarapion Sarapionis f. Melitensis. } CIA. II, 985.

Deliasta.

Medeus Medei f. Piraeensis[64]): BdCH. III, p. 379.

---

59) Cfr. not. 47).

60) Titulis a sacerdote hoc dicatis decem, quos nuper invenit, usus Reinachius demonstravit esse sacerdotii eius tempus ad saeculi secundi lustra extrema referendum: qua de re cfr. pag. 215.

61) Fuit στρατηγὸς ἐπὶ τὴν παρασκευὴν archonte Medeo (100/99): CIA. II, 985, fragm. E, col. I, vers. 28—29.

62) Credidit Homollius Diophantum hoc anno Iovis Cynthii sacerdotem fuisse, quod cur verum esse non possit, exposui in not. 36). Ceterum ne hoc quidem pro certo constat, fueritne omnino sacerdotio aliquo tunc functus, sed verisimillimum videtur, cum supra iam sint perscripta magistratuum huius anni maiorum nomina.

63) Ex coniectura addidi et patris et pagi nomen, cum minime a vero mihi abhorrere visum sit fuisse Gaium hunc non diversum ab illo Sarapidis et Cabirorum sacerdote, de quo cfr. not. 47).

64) Est filius epimeletae archontisque eiusdem nominis nobilissimi.

Κήρυκες εἰς Δῆλον.

Glaucias Crioensis: CIA. II, 985.
(anno ante Echecratem archontem)

Myron Leuconoensis: CIA. II, 985.
(archonte Medeo).

Philomelides Cydatheniensis: CIA. II, 985.
(archonte Theodosio).

Philon Paeaniensis: CIA. II, 985.
(archonte Echecrate).

Cliduchi.

Iovis Cynthii.

Eubulides Dioscuridis f. Elaeusius: BdCH. VI, p. 344.

Posidonius Posidonii f. Scambonides: Lebègue, no. 2.
(sacerdote Aristone Platoris f.).

Zenon Zenonis f.: Lebègue, no. 9.

Sarapidis.

Aeschrion Aeschrionis f. Melitensis[65]): BdCH. VI, p. 326.
(sacerdote Demetrio Demetrii f.).

Ariston Aegionis f. Myrrhinusius: BdCH. VI, p. 342.
(sacerdote Marco Eleusinio).

Eucrates Dionysii f. Scuthis n. Paeaniensis[66]): BdCH. VI, p. 329.
(sacerdote Dicaeo Dicaei f.).

Posidonius Gerostrati f.[67]): BdCH. VI, p. 346.
(sacerdote Apollodoro Apollodori f.).

Veneris Syriae (aut Sarapidis?).

Zenon Zenonis f. Cephisiensis[68]): Ἀθ. IV, p. 462; BdCH. VI, p. 348.
(sacerdote Veneris Aeschrione Aeschrionis f.).

Κανηφόροι.

Dianae?

Laodamia Medei Piraeensis f.[68a]): BdCH. III, p. 379.

---

65) Pater eius Aeschrion erat Aeschrionis f. Eubuli n.: cf. not. 52).

66) Nomen avi restitui usus titulo: BdCH. II, p. 399.

67) Cfr. de hoc viro quam opinionem protuli in not. 26).

68) Conicere licet eundem fuisse cliduchum hunc atque eum, Iovis Cynthii sacerdotio qui est functus anno ante Echecratem archontem (102/101) Zenonem Cephisiensem: cfr. not. 37).

68a) Virorum in Atheniensium civitate nobilissimorum filiae, e quibus Philippe et Sosandra sacerdotio quoque Dianae Deliae videntur functae.

Philippe Medei Piraeensis f.[68a]): BdCH. III, p. 379.
Sosandra Sarapionis Melitensis f.[68a]): BdCH. XI, p. 262.
Stratonice Democlis Piraeensis n.: BdCH. III, p. 380.

Isidis.

Dorothea Archelai Dionysii f. Marathonii f.: CIG. 2298.
(sacerdote Demetrio Demetrii f.).
Mystion Heraclidis Paeaniensis f.: BdCH. VII, p. 368.
(sacerdote Hipponico Hipponici f.).
Protogenia Aristeae Aristeae f. Marathonii f.[69]): BdCH. VI, p. 342.
(sacerdote Marco Eleusinio).

Veneris Syriae.

Zoila Diogenis Cydatheniensis f.: 'Αθ. IV, 462.
(sacerdote Aeschrione Aeschrionis f.).

Apollinis et Veneris.

Nympho Dionysii Sphettii f.[70]): BdCH. VI, p. 346 et VII, p. 367.
(sacerdote Veneris Philocle Zenonis f.).

Bacchi.

Ηδῆα Sosionis Eumenis f. Oenaei f.[71]): BdCH. VI, p. 338.
(archonte Paramono).

Ὀνειροκρίται Sarapidis.

Menodorus Agiae f. Nicomedensis: BdCH. VI, p. 324.
(sacerdote Leone Agatharchi f.).
Ptolemaeus Dionysii f. Polyrrhenius: BdCH. VI, p. 339.
(sacerdote Gaio Gai f.).

Ἀρεταλόγοι Sarapidis.

Ptolemaeus Dionysii f. Polyrrhenius: BdCH. VI, p. 339.
Pyrgias: BdCH. VI, p. 327.

---

69) Pater virginis Aristeas Aristeae f. Marathonius inter ephebos appellatur archonte Aristarcho: CIA. II, 470, col. IV, vers. 98.

70) Cfr. not. 45).

71) Pater virginis Sosion Eumenis f. saepissime inter Sarapidis sacerdotes appellatur eiusque nomen exstat etiam in catalogo eorum notissimo. Ipsius nomen prava, credo, huius aetatis orthographia corruptum est ex *Ἡδεῖα*.

Zacori.

Iovis Cynthii.

Nicephorus: Lebègue, no. 1 et 2.
(sacerdote Aristomacho; tricesimum septimum: sacerdote Aristone Platoris f.).

? Azenius (?): Lebègue, no. 8.
(epimeleta Aristione Isocratis f.).

Sarapidis.

Apollonius Dicaei f.: BdCH. VI, p. 329.
(sacerdote Dicaeo Dicaei f.).

Gorgias: BdCH. VII, p. 280.
(sacerdote Philoxeno Philoxeni f.).

Marathon: CIG. 2298; BdCH. VI, p. 326.
(sacerdote Demetrio Demetrii f.).

Nicias: BdCH. VI, p. 346.
(sacerdote Apollodoro Apollodori f.).

Nysias: BdCH. VI, p. 328 et 500.
(sacerdote Theomnesto Theogenis f.).

Veneris Syriae (Atargatidis).

Crates (Atargatidis): BdCH. VI, p. 497.
(sacerdote Sibillo Sosipatri f.).

Demetrius (Veneris Syriae): 'Aθ. IV. p. 462 (bis).
(sacerdote Aeschrione Aeschrionis f.).

Euodus (modo Atargatidis, modo Veneris Syriae appellatur)[72]:
BdCH. VI, p. 490 (sacerdote Veneris Seleuco Acharnensi);
BdCH. VI, p. 346 (duodevicesimum: epimeleta Callimacho Epicratis f.);
BdCH. VI, p. 499 (sacerdote Atargatidis Artemidoro).

Δημόσιος.

Eutychides: 'Aθ. IV, p. 461 et 462.
(archonte Aristarcho).

---

[72]) Euodus cum duodevicesimum sit zacori officiis functus epimeleta Callimacho Epicratis f. — cuius ἐπιμελητείαν propter archontis regis munus ab eo gestum a. 99/98 a. Chr. n. necesse videtur ad ultimos saeculi secundi annos referri (vel ad primum insequentis decennium) —, satis certa ratione affirmare licet non ante a. 125 eum esse primum constitutum Veneris apparitorem.

Addenda et corrigenda.

ad pag. 20. Plagulas dum corrigo, accepi Diarii scholae Francogallicae vol. XII fasc. ultimum, ubi (p. 463—478) longiore dissertatione, quae »sur une base de statue portant une signature d'artiste et décorée de reliefs« inscribitur, Homollius exposuit uberius de Fiphicartidis statuarii et opere et titulo ipsumque rettulit ad saeculi sexti initium vel etiam ad superioris exitum.

ad pag. 43. Attingeri de Glaucippi archontis rationibus sententiam amplexus est nuper V. Thumser vir doctissimus in Hermanniarum »Antiquitatum Graecorum publicarum« editione ab ipso instaurata; sed cum in hanc quaestionem altius inquisivisse non videatur, causa nulla est, cur meam de ea re opinionem commutem: immo prae aliis certissimam habeo.

ad pag. 48. De Callia Hipponici f. cfr. nunc Welzeli dissertationem, quae »Kallias, ein Beitrag zur athenischen Geschichte« inscribitur, Lipsiae 1888.

ad pag. 71. Multum mihi reputanti, qua ratione pecuniae summa amphictyonibus *εἰς τἀπιτήδεια* erogatae conciliari possit cum dierum numero, quibus in munere remanserunt, tandem in mentem venit rem ita expediri posse, ut sumamus primo quidem anno post amphictyoniam deliacam nova lege constitutam magistratus eius statim post Delia peracta munus suum iniisse, insequentibus vero — initio anni attici, ac praeterea Socratidis archontis annum (Ol. 101,3) fuisse intercalarem, ut collegium hoc amphictyonum per quattuordecim menses munere functum sit. Quae si vera sunt, et amphictyonum unusquisque (tam Atheniensium quam Andriorum) et scriba eorum primus singulas pro singulis diebus drachmas acceperunt, scriba autem secundus — obolos binos. Maioris etiam momenti forsitan sit, quod tali modo demonstretur Olympiadis numeri imparis non quartum, sed tertium annum fuisse intercalarem. Quamquam non me fugit, quam sint haec omnia incerta dubioque obnoxia.

ad pag. 119. Primo liberae reipublicae deliacae tempore non bini quotannis, sed singuli videntur constituti esse quaestores: unus enim occurrit *ταμίας* in titulo Philoclis regis Sidonii honorario (BdCH. IV, p. 327), quem ad hoc tempus pertinere certum est, unus item appellatur in Marmore Arundeliano (CIG. 2266), quod ad Pyrrhidis archontis annum (297) certissima ratiocinatione rettulit Homollius (»Archives« etc. pag. 117, VIII).

ad pag. 200. Errore meo factum est, ut in enumerandis Athenarum civitatis archontibus, qui in titulis deliacis occurrunt, Aristaechmum ignotis adhuc adnumerarem: qua de re cfr. appendicem primam.

ad pag. 201, not. 94. Athenionem, qui in titulo apud Dittenbergerum (SIG. no. 383) archon appellatur, dixi Dionysii filium, viri huius doctissimi sententiam secutus pro »Διωνύσιου« (quod in lapide exstat scriptum) reponentis »Διονυσίου«: equidem neque vocem hanc corrigendam puto neque Athenionis nomen paternum agnoscere possum, sed ad »κανηφόρου« vocem refero: Baccho certe apparuit virgo neque dei nomen ullo modo omitti potuit, archonti autem nomen paternum adiectum prorsus singulare esset, cuius rei unum tantummodo exemplum est notum — *ἐπὶ Λυσάνδρου τοῦ Ἀπολήξιδος ἄρχοντος* (CIA. II, 489b).

ad cap. IV—VI. Hieropoeorum rationes notavi archontis nomine, cuius anno sunt conscriptae, Homollii exemplum secutus; sed cum vir doctissimus de quarundam tempore sententiam suam immutasset, factum est, ut in harum rationum catalogo, quem libro suo »Archives« etc. inscripto adiecit in appendice secunda, non omnes inveniantur commemoratae illae, quas saepius appellavit in dissertationibus suis antea scriptis: desiderantur quas ad Agatharchi, Scylaci, Sosici archontum annos rettulit rationes, neque investigare licet, cum tituli nondum editi sint, quibus nunc annis ab eo tribuantur (Sosici ad Bulonis, Scylaci ad Menethalis archontum annos translatae? cf. »Archives,« pag. 132—133, LIV et LVI). Quare reputanti mihi optimum est visum notationem pristinam servare, ne in maiores etiam errores inciderem.

ad cap. VII. In *ἀπαρχῶν* tabula (CIA. II, 985) fragmentum C loco ei ab Eustratiade, deinde Koehlero tributo movendum putavi et inter fragm. D et E posui, quia in eo epimeleta quidam appellatur *ἐξ Οἴου*, cum Procle archonte, cuius ad annum referebatur, cognitum nunc sit curatoris munere esse functum Polyclitum Phlyasium. Hanc difficultatem iam Homollius animadvertit, sed tali ratione expedire conatus est, ut Polyclitum putaret magistratum suffectum. Equidem hanc medelam non adhibendam puto nisi summa cogente necessitate, quae hic nulla est, cum nihil prohibeat fragmentum C ad alium locum transferre, id quod feci.

Errata.

Scriptum.	Legendum.
pag. 9, vers 1 a. i. conatos esse	conati esse
» 11, not. 33, vers. 9 a. i. Cuius reicertum mihis videtur	Cuius rei certum mihi videtur
» 21, vers. 2 qui titulus, saeculo	qui titulus saeculo
» 28, not. 14, vers. 1 Amphictyonas	Amphictyones
» 32, vers. 2 Astemision	Artemision
» 34, vers. 10 diferre	differre
» 36, vers. 11 a. i. hos	hoc
» 39, vers. 14 ὲορτῆς	ἑορτῆς
» 41, vers. 6 a. i. defineri	definiri
» 44, not. 50, vers. 1 Extempore	Ex tempore
» 52, vers. 2 a. i. anno	annos
» 53, vers. 12 a. i. obscura	obscuro
» 61, vers. 14 a. i. haec	hae
» 62, vers. 2 haec	hae
» 75, not. 78, vers. 7 coniectur aassequi	coniectura assequi
» 76, vers. 13 a. i. amphictyonas	amphictyones
» 81, vers 4 cnim	enim
» 84, vers. 3 inaurata sunt, (ὑπάργυροι)	inaurata sunt (ὑπάργυροι)
» 88, not. 122, vers. 8 p. 121	p. 244
» 95, vers. 9 a. i. Aegytiae	Aegyptiae
» 99, not. 28 [28])	[27])
» 102, vers. 4 [37])	[39])
» 102, vers. 6 [38])	[40])
» 106, vers. 10 quorum	quarum
» 107, vers. 12 illi, hi	hi, illi
» 122, vers. 2 a. i. inferrerentur	inferrentur
» 142, vers. 3 a. i. π϶ριόντας	περιόντας
» 153, vers. 7 a. i. cuinis	cuivis
» 154, vers. 19 a. i. V sum	Visum
» 156, not. 10 s. ex. 139 140	139—140
» 161, vers. 16 maiorem esse	minorem esse
» 167, vers. 1 a. i. 2820	8820
» 176, not. 98, vers. 4 depositas et	depositas — et
» 183, vers. 9 a. 167 a. Chr. n.	a. 166 a. Chr. n.
» 202, vers. 1 a. i. proprios	proprii
» 205, vers. 14 χεχειροτημένων	χεχειροτονημένων
saepius: Scylacis, Scylacem	Scylaci, Scylacum.

TYPIS CAROLI FEICHTII BEROLINENSIS.